Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Feurborn

Posthumus Beati D. Iusti Feurbornii, Anti-Eniedinus, Seu Vindicationes Locorum Sacrorum, tam in Veteri, quam in Novo Testamento occurrentium, & Veram ac Aeternam Christi Jesu, Salvatoris nostri Unici Deitatem, Invicte demonstrantium & evincentium, Quae Eniedinus, Photinianus Ille Exitialis, ausu plane blasphemo & improbo corrumpere, atque Ecclesiae orthodoxae, Christum, Salvatorem suum, Verum Et Aeternum Deum, Agnoscenti, Credenti & Invocanti, conatu prorsus Diabolico eripere studuit : Aliquot Disputationibus, In Academia Hasso-Gissena publice habitis

Giessae Hassorum: Hampelius, 1658

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

1/2

Ep. 573 p Ind
120 p – 216. 51.7.
Ded. 118 p

F.g. – 1301 1–3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767132041/phys_0002
DFG

Rostock d. 27 Aug: 1790. C. W. Ahlwardt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0003
DFG

POSTHUMUS
BEATI D. IUSTI FEURBORNII,
ANTI-ENJEDINUS,
SEV
VINDICATIONES LOCORUM
Sacrorum, tam in Veteri, quàm in Novo Testamento occurrentium, & Veram ac Æternam Christi Jesu, *Salvatoris nostri Vnici Deitatem, Invictè demonstrantium & evincentium,*

Quæ

ENIEDINVS, PHOTINIANUS ILLE EXITIALIS, ausu planè blasphemo & improbo corrumpere, atque Ecclesiæ orthodoxæ, Christum, Salvatorem suum,

VERUM ET ÆTERNUM DEUM,

Agnoscenti, Credenti & Invocanti, conatu prorsus Diabolico eripere studuit;

ALIQUOT DISPUTATIONIBUS, IN ACADEMIA Hasso-Gissenâ publicè habitis,

Publicæ Luci donatæ,

PRÆSIDE

PETRO HABERKORNIO, S. TH. D.
Professore Publico & Ordinario, Pastore & Superintendente Gissensi.

§ [*_*] §

GIESSÆ HASSORUM,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, ACAD. Typogr. Ordinarii, M. DC. LIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0007
DFG

SERENISSIMO
ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DN. WILHELMO CHRISTOPHORO,
HASSIÆ LANDGRAVIO, COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ, Ziegenhainæ, Niddæ, &c,

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

EX FONTE NBE EDICTIONIS omnigenæ, CHRISTO JESU, Salvatore nostro, largam DEI & opiferam Gratiam, cum servitiorum nostrorum humilimâ oblatione, toto Corde comprecamur!

SErenissime & Celsissime Princeps ac Domine, Domine Clementissime, Articulum de verâ & æternâ Deitate Christi Jesu, Salvatoris nostri unici, esse fundamentalem & gravissimum, & quidem ita fundamentalem, ut omnia beneficia, ad salutem nostram pertinentia, illi arctissimè innitantur, & ex eo dependeant, illud manifestum evadit tam ex generalibus illis Spiritus S. testimoniis, quibus vita æterna & consecutio illius in eo, quòd Christus sit unigenitus Dei Patris Filius, verus & æternus Deus, missus in plenitudine temporis in mundum, & in fiduciali illius aquitione consistere asseritur, adeò ut sine eo ejusq; cognitione salutari nobis omnis omnino salus & beatitudo præcidatur & adimatur. Quâ de re meritò sequentia dicta biblica evolvi possunt, v. g. Joh. 5. v. 17. 18. 23. 24. cap. 17. v. 3. c. 20. v. 28. 29. 1. Corinth. 8. v. 6. 1. Johan. 2. v. 23. 24. 25. cap. 4. v. 15. c. 5. v. 11. 12. 13. 20. Quàm ex speciali deductione atq; demonstratione, per totam Catecheticam compagam, quomodo omnia salutis nostræ beneficia à Christo, ceu vero & æterno Deo proveniant. Quòd si enim Decalogum, ceu primam Catechismi partem, æquâ mentis lance, expenderimus, apparet, quòd licet Christus ut Deus ἔνσαρκος seu Mediator noster non sit novus Legislator, nihilominus eum ut Legislatorem nostrum agnoscere, eiq; juxta primam & secundam Decalogi tabulam, obedientiam nostram debitam & cultum exhibere jubemur, Deut. 18. v. 17. seq. 2. Cor. 5. v. 17. Eph. 4. v. 20. seq. Gal. 4. v. 8. 9. &c. At verò nemini honorem νομοθέτου nostri deferre, nullum etiam cultu religioso afficere debemus, nisi Deus ille sit noster. Dominus enim est Judex noster, Dominus Legislator noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, Esa. 33. v. 22. Ac Unus est Legislater noster, qui potest perdere & salvare, Jac. 4. v. 12. Qui est non nisi Deus noster, Matth. 10. v. 28. Quòd si jam dogma hoc, quòd Christus sit Verus & æternus Deus, negetur, tum certè tota illa reverentia, & obedientia illa tota, quam ei ut Legislatori nostro præstare tenemur, pessumdata & convulsa jacebit. Atq; sic primum Catecheticum caput, Decalogus sc. respectu Christi, nobis colendi, per illam inficiationem erit sublatum, eversum, extirpatum.

Quòd

Quòd si pedem in Symbolum Apostolicum, seu secundum Catechismi nostri membrum, protollamus, considerantes, quæ & quanta à Christi Deitate verâ ad nos descendant, omnino luculentum est, hâc negatâ, ista omnia negari & auferri. Ac primò quidem in primo Articulo nobis tam Creatio & Conservatio, Dei, quàm gratia Patris nobis benefacientis, proponitur. Quæ Creatio & Conservatio nostri in totâ S. Scriptura etiam Christo ùt vero Deo adjudicatur, nosq; eum ut pote Creatorem & Conservatorem nostrum colere & in eum nostram fiduciam ponere docemur, Psalm. 33. v. 6. Joh. 1. v. 1 seq. c. 5. v. 17. seq. Col. 1. v. 15 seq. Heb. 1. v. 2. 10. &c. Ac gratia Dei Patris nostri miserentis, non nisi in Christo, θεανθρώπῳ, & sic vero & æterno Deo, qui factus est Homo, passim fundata depredicatur, Jerem. 23. v. 5. 6. Hos. 1. v. 7. Matth. 3. v. 17. &c. Quòd si jam quis negatum iret Christi hanc veram Deitatem, ille consequenter necesse haberet negare, quòd à Christo sit creatus, ab eo conservetur, & quòd Deus Pater nobis suam gratiam exhibeat, quòdq; in Deum ùt Patrem nostrum benevolum & beneficum credere debeamus. Atq; sic actum esset de primo Symboli Articulo. In secundo Articulo ejusdem dicimus nos credere in Jesum Christum seu Mediatorem nostrum, & in eo de Redemtione nostrâ & salutis amissæ recuperatione agitur, quæ in obedientiâ ejus consistit activâ, quâ Legem Dei perfectè pro nobis implevit, & obedientiam ei exactè præstitit, qui illam pro se adimplere non tenebatur, & visissim in obedientiâ ipsius passivâ, quâ æternæ Dei justitiæ & iræ ejus infinitæ, indebitâ suâ passione & morte, satisfactionem infiniti valoris, & ἰσόξεσον λύτρον i. e. plenissimè & rigorosè æquivalens pretium præstitit, atq; ita æternâ justitiâ reductâ, nos à maledictione legis, potestate Sathanæ & infernali damnatione liberavit, atq; in vitæ æternæ recuperationẽ asseruit. Quòd si jam inficias iremus, quòd Christus sit verus & æternus Deus, tum nõ possemus dicere: Credo in Jesum Christum. Siquidẽ in nudum hominem fides collocari prohibetur, contra illa soli Deo nostro vendicatur, Jer. 17. v. 5. Esa. 42. v. 8. c. 45. v. 24. Non posset adstrui, quòd meritoriâ & rigorosè satisfactoriâ redemtione simus ab infinitâ Dei irâ & justitia ultrice liberati, hæc enim nõ φιλῷ ἀνθρώπῳ sed ei, qui in Unitate Personæ est verus Deus & Homo, transcribitur, utpote qui solus mortẽ & meritũ infiniti precii solvere & præstare pro nobis potuit, Job. 9. v. 13. Psal. 45. v. 8. 9. Hos. 13. v. 14. Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. Act. 20. v. 28. 1. Joh. 1. v. 7. Heb. 1. v. 2. 3. seq. &c. Non posset asseri, quòd pro nobis legem Dei impleverit, siquidẽ ùt nudus homo pro se illã implere debitor fuisset; Vide Marc. 2. v. ult. Sicut idipsum etiam ex exemplo eorum patet, v. g. Photinianorum, qui veram Christi Deitatem blasphemè negitant,

Calvi-

Calvinianorum, Pontificiorum & aliorum Nestorianorum, qui veram & realem naturarum, idiomatum & proprietatum in personâ Christi communicationem impugnant, quòd eâ de causâ simul vel obedientiam Christi activam negent, vel meritum & mortem Christi non rigorosè satisfactoriam, & satisfactoriè redemtoriam, sed gratuitam illius acceptationem tantùm, concedere cogantur, & publicis in scriptis etiam concedant & adstruant. Quâ de re alibi pleniùs agi solet. Sic neq; orthodoxè Articulus de Sessione Christi ad Dextram Dei Patris, credi & defendi potest, si vel Divina natura ei planè denegetur, vel Communicatio idiomatum divinorum tam quoad possessionem, quàm quoad plenariam usurpationem subvertatur. Hisce enim ceu necessariis præsuppositis negatis, nequaquam asseverari potest, quòd vi Sessionis ad Dextram Dei Patris Christus ùt Homo divinum regnum in cœlo & in terrâ, ac cumprimis in Ecclesiâ suâ, suâ divinâ omnipræsentiâ, omniscientiâ, omnisapientiâ & omnipotentiâ exerceat. Quî enim divinum regimen ab eo, qui est nudus homo, administrari potest? Unde etiam in S. Scripturâ Christo propterea ùt Homini illa Celsitudo Sessionis in throno Dei Patris, divina attribuitur, quia ille in identitate Personæ suæ est simul verus Deus, Phil. 2. v. 6. seq. Hebr. 1. v. 2, 3. seq. Rom. 8. v. 32. seq. &c. Hac de secundo Articulo Symboli nostri, qui itidem totus evertitur, negatâ verâ & æternâ Deitate Christi. Provehimur ad tertium illius Articulum, in quo agitur de Spiritu S. nobis à Christo per verbum & sacramenta dato, de Ecclesia super Christum ceu Petram immotam ædificata, de remissione peccatorum nobis in nomine Christo obveniente, de resurrectione mortuorum propriâ Christi virtute instituendâ, & de vita æterna ex Christi merito & potestate ejus suprema, fidelibus impertienda. Jam vero omnia ista in s. codice Christo transcribuntur, nobisq; illa beneficia ex eo promittuntur, quia ille est ipse Jehovah, verus Deus, & Filius Dei viventis, Deo Patri ὁμοούσιος, ùt constat ex Actor. 2. v. 33, Tit. 3. v. 6.

Matth. 16. v. 18 1. Cor. 10. v. 4. & 9.

Matth. 9. v. 4 Esa. 44. v. 22. Act. 4. v. 12. c. 10. v. 43.

Act. 3. v. 12. & 16. Job 5. v. 21. seq.

Joh. 10 v. 18. Esa. 43. v. 11. &c. Proinde fundamento hoc sc. Deitatis Christi verâ, sublato, omnia illa beneficia, quæ ex eo ad nos redundant, ceu ad scia & effecta divina unà tolli necesse est.

Precationem nostram, ceu tertium Catecheseως membrum quod attinet, non tantùm nobis incumbit vi mandati divini, Christum Salvatorem nostrum seriis & ardentibus precibus invocare, & in vocando varia commoda tam terrestria quàm spiritualia ab eo efflagitare, Psalm. 2. v. 11. 12. Psalm. 72. v. 11. seq. Act. 9. v. 14.

9.v.14.2.Tim.2.v.19.1.Cor.1.v.2.Hebr.1.v.6.Psalm.96.v.9.&c. Sed etiam ipso ceu Advocato & Mediatore nostro pro nobis interpellante ad Deum nostrum accedere, & beneficia ab eo petere debemus, Johan.16.v.23. Hebb.4.v.16.&c. Jam verò precatio nostra religiosa non nisi in Deum verum & æternum, nequaquam verò in creaturam ferri & ad eum dirigi debet, postulante ita tota S. Scriptura, Matth 4.vers.10 Deut.6.vers.13.Rom.10. vers.13.seq. & alibi passim. Sic etiam Christus propterea Mediator & Interpellator noster, quo interveniente ad Deum nostrum pervenimus, esse dicitur, quia ipse etiam est Filius Dei, via, veritas & vita, & sic verus Deus, Rom 8.v.32.Joh.14.v.6. Quòd si ergò sustuleris veram & æternam Christi Deitatem, quantum in te est, tum etiam prostrata jacet invocatio Christi, seriò nobis demandata, aut in apertam, quod absit! idololatriam convertetur, eversa erit mediatoria παρακλήτε interpellatio pro nobis apud Patrem in cœlis. Imò quia nec Pater colitur aut rectè cognoscitur, si Filius non invocatur & cognoscitur, & per eum Pater, Johan.5.v.22.c.8.v. 54.55.1.Joh.2 v.23. Sequitur neeessariò, nec Patrem, pro primâ persona sumtũ, in oratione Dominica nobis à Christo præscripta, ab illis invocari & honorari, qui Filium negantes verum Deum, eum consequenter haud verè invocant. Atq; sic omnis precatio religiosa per negationem Divinæ Christi naturæ, pessum datur & penitus prosternitur.

Devolvimur ad S. Baptisma, ubi baptisamur non in nomen nudi hominis, 1. Cor. 1. vers.13. sed in ipsum Deum nostrum, 1. Pet.3.v.21. scilicet in Deum, Baptismatis fontem salutarem instituentem & nobis præcipientem; In Deum gratia sua paterna nos circumplectentem, peccata remittentem, & in filios suos adoptantem; In Deum, nos in templa sua recipientem. fide salvifica nos illuminantem, regenerantem, renovantem & æternùm nos salvantem, uti appareret ex S. Scripturæ testimoniis passim occurrentibus. Pone nunc, Christum non esse verum illum & æternum Deum, in quem nos baptisari oportet: Et oppidò sequetur, nos in Christi nomine baptisari nec posse nec debere, ac Baptismum in nomine ejus administratum, esse vanum & cassum. Unde & Patres rectiùs sentientes, Arianorum, Photinianorum & illorum, qui æternam Christi Deitatem negarunt, Baptismum esse irritum & nullum meritò statuerunt, & illos ne nomine quidem Christianorum dignos judicarunt. Prout alibi illud demonstraris & evinci solet.

Restat S. Eucharistia in Catechismo nostro, quam quia nemo instituere potest, nisi cujus est gratiam salutarem, per illam largiri; Ac præsentia corporis & sanguinis Christi in ea, est substantialis & salutifera, & sic etiam divina, quæ sc. di-

sc. divinâ potentiâ & sapientiâ præstatur & exhibetur; Quin & in ea nobis offertur & fidelibus confertur remissio peccatorum, vita & salus æterna, ceu beneficia spiritualia, quorum solus Deus est Autor & Largitor: Ideò quisquis Christum verum & æternum Deum negatum iverit, ille tollet hoc ipso S. Eucharistiæ institutionem veram, corporis & sanguinis Christi præsentiam divinam, & fructum S. Eucharistiæ salutarem. Sicut idem etiam ex praxi Photinianorum, Anabaptistarum, Arminianorum, aliorumq; constat, qui quia veram Christi Deitatem negant, etiam nullo in pretio S. Eucharistiam habent, sed valde tenuiter de ea sentiunt. Calviniani autem & Pontificii, quia communicationem idiomatum divinorum personalem Christo quà Homini denegant, partim præsentiam substantialem planè tollunt, partim præsentiam concedunt, absoluta Dei omnipotentia præstitâ qualiter in qualibet creatura præstari posset, at non in se divinam.

Quoniam ergò damnum ex negatione Articuli hujus verè fundamentalis & primi, obortum, sese in totam Theologiam insinuat, omnesq; reliquos Articulos fundamentales in tota Catechesi nostra subvertit: Ideò Doctores Theologiæ omnẽ operam eò conferre & in id cumprimis incumbere debent, quò iste Articulus omnium gravissimus, quiq; est q. mater reliquorum omnium, maneat salvus & incolumis, & à strophis Adversariorum nervo sè vindicetur, ne superst, quod contradicendo regere possint. Hoc Vir Plurimùm Reverendus, Amplissimus & Excellentissimus DN. D. JUSTUS FEURBORNIUS, Theologus consummatus & de tota Christi Ecclesiæ optimè meritus, apud animum suum expendens, Hunc Articulum de vera & æterna Deitate Christi accuratè & summo studio semper, dum inter vivos supereſſet ex S. Scriptura tueri, & Arianorum ac Photinianorum glossemata impia & blasphema retundere solitus est, sicut id patet etiam ex Ejus Viri Beati Anti-Enjedino, quem adornavit jam pridem. Quia autem morte præventus illum suum sacrum laborem, quo omnia & singula testimonia V. & N. T. de Deitate Christi verâ agentia succinctè & solidè ab exitialis illius Hæretici Enjedini scilicet, à corruptelis & detorsionibus ex orco protulatis asseruit, Ipsemet, additâ ultima lima in lucem emittere non potuit; Hinc in ultimæ voluntatis suæ dispositione, quam vocant, mihi, D. PETRO HABERKORNIO, Genero suo, in mandatis dedit, ut inter reliqua ejus scripta ab ipso elaborata atq; publicis typis nondum divulgata, etiam hunc Anti-Enjedinum publicæ luci exponerem. Parui ergò Monito ejus paterno, & quamvis ille Beatus copiosiori labore hunc suum Anti-Enjedinum extendere in animum induxerat, illum tamen ego, quia jam tum erudito & solido, atq; Ecclesiæ Christi perquàm utili labore constat, prout eum conscriptum reliquit, per aliquot

quot Disputationes publicas in hac alma Gissena Academia, ventilandum proposui.

Quòd autem Serenissime & Celsissime Princeps ac Domine, Domine Clementissime, sub Serenissimæ Celsitudinis Vestræ clypeo & patrocinio hunc Anti-Enjedinum prodire, Eúq; hunc Sacrum & Feurbornianum laborem humillimè consecrare ausi fuerimus, causæ suppetunt multæ. Non tantùm enim Serenissima Vestra Celsitudo Christianæ & Orthodoxæ Religioni fervido & constanti, atq; sic nunquam satis laudando Zelo est addicta, eamq; heroico planè animo propugnare & tueri solet, verùm etiam B. D. Feurbornium, Venerandum nostrum Dn. Socerum, dum inter vivos ageret, insigni Clementiæ suæ favore complectebatur, quin & Illius propensionem in nos clementissimam & acceptissimam nos ipsi non semel experti fuimus. Ut ita hisce aliisq; causis extimulati, hoc Scriptum D. Feurbornii pium & utile, Serenissimæ Celsitudini Vestræ humilima devotione offeramus, ac Favori & Tutelæ Ejus committamus. Sicut ergò hunc nostrũ ausum Celsit. Vestræ haud ingratum fore planè confidimus, certi de Ipsius erga Scripta Theologica Benevolentia & Amore summo: Ita Eandem submissè rogamus, ut hoc Scriptum suæ Celsitudinis susceptione & complexu benevolentiore Clementissimè dignari, & in Feurbornianam familiam, Gratiæ suæ exoptatissimæ radios porrò dirigere ac constanter emittere velit. Nos precibus nostris beneficiorum divinorum thesaurum abundantè à Deo, omnium Bonorum Datore largissimo, Eidem enixè impetrare haud desinemus, cujus Benedictioni & Protectioni potentissimæ Serenissimam Vestram Celsitudinem, cum Conjuge sua Serenissima & Celsissima, totaq; Prosapia laudatissima, devotis suspiriis commendamus. Giss. d. 26. Mart. Anno 1658.

Serenissimæ Celsitudinis
Vestræ

Humilimi servi,

PETRUS Haberforn / D.
JACOBUS LEBLEU, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0014
DFG

BONO Cùm DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII ANTI-ENJEDINI,

DISPUTATIO I.

Resp. FRIDERICO MÜLLERO, REGIO-Montano Porusso.

ARduus & cardinalis fidei nostræ Christianæ articulus cùm sit dogma de Deo, essentiâ Vno, & personis Trino, quod moderni Photiniani, veterum Antitrinitariorum exitiales simiæ, operosè convellere satagunt, quemadmodum Enjedinus *loca V. & N. T. ex quibus hic articulus probari consuevit, miris detorquere modis non erubuit; ideò volente & benedicente Deo,* istum pessimum hæreticũ κατὰ πόδα persecuturus, summam rei tantùm brevissimè ad pennam dictabo, reliqua, quæ necessariæ videbuntur, obiter enarraturus & explicaturus, ut eò citiùs hunc laborem, quem felicitet Iehova benignè, absolvere queam.

VINDICATIO LOCI Gen. 1. v. 1.

Creavit Elohim.

IN hujus loci callidâ depravatione

1.

Allegat Augustinum l. 3. Confess. c. 5. quasi ibi scribat, *se antea persuasum, mundi creatorem esse Trinum Deum, cùm ad Mosis lectionem ac-*

nem acceßisset, solicitè quæsivisse, & vix tandem invenisse Trinitatem. Quod ibi nequaquam dicit Augustinus, ut probat ἀυτοψία istius capitis.

2. Recenset dispares Christianorum Explicationes super istum locum, easq; superbè exagitat. At noverit ille, istos tamen Christianos omnes articulum de Trinitate divinarum personarum seriò credidisse: & salvâ fide ipsâ, posse inter fidei ejusdem consortes esse dissimilem unius & alterius Dicti Biblici explicationem.

3. §. 3. Citat nostram istius Dicti Mosaici expositionem, quòd quando Moses dicit: *In principio* בָּרָא אֱלוֹהִים singularis numeri Verbum insinuet unitatem essentiæ divinæ, pluralis verò numeri nomen innuat personarum pluralitatem, quæ ternario comprehenditur numero, uti Spiritus S. vel Gen. 1. explicat. Quod nostrum argumentum quia non tantùm Photiniani, sed & Calvinus, Pareus, Bellarminus & Pererius &c, impugnant, ideo nota, nos non nudè argumentari ex solâ illâ Mosis Phrasi, sed quatenus illa Mosaici textus est involuta circumstantiis, quæ continent & 1. sententiam Mosis, qui authorem Creationis verè scivit. At ille est Pater, Filius, & Spiritus S. & 2. subnexam ejusdem ἐξήγησιν. Nam numerum pluralem אֱלוֹהִים spargit ille in plures personas, nempe in Deum (Patrem) mandantem, in Verbum (substantiale, interprete Davide, Ps. 33. v. 6. & Johanne, cap. 1. v. 1. &c.) & Spiritum S. aquis incubantem, easque foventem.

Quid Enjedinus regerit? Ut præteream, quæ sunt inutilia dictu, dicit ille *p. 4. si vox Elohim, sicut voce, ita etiam significatione est plurale, quomodo isti hinc Trinitatem tantùm & solùm tres personas eliciunt?* Citatque Calvinum, additq; *mirum esse, quòd Latini proprietatem linguæ Hebreæ meliùs nôrint, quàm Hebræi. &c.*

℟. 1. Vox Elohim & vocis inflexione, & significatione est pluralis, Nam singularis est אֱלוֹהַּ Deut. 32. v. 15. Ps. 18. v. 32. & 50. v. 22. & 114. v. 7. At pluralis numerus, propriè acceptus, notat pluralitatem. Pluralis enim & pluralitas sunt conjugata, quorum illud sine hoc esse nequit.

2. Non ex solo numero plurali colligimus Trinitatem (plures enim non statim sunt tantùm tres) sed simul ex circumstantiis

textus

textus appositis, & ex Spiritus S. explicatione, quam passim adjungit. Sic Jos. 24. v. 19. Jehova dicitur, אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא i. e. Dii sancti ipse. At si nonnisi una divinitatis esset persona, sermo iste non posset stare. Nam adjectivum plurale uni soli personæ tributum non legitur in Verbo Dei.

3. Argumentum Calvini nullius est roboris: Si hic tres personas notari placet, nulla erit earum distinctio, & Sabellianismus revocabitur, quia subjicit Moses: *Elohim locutum esse, & Spiritum Elohim incubuisse aquis. Unde sequetur, & filium à se genitum, & Spiritum non esse patris, sed sui ipsius.* Respondeo enim, etsi vox אֱלֹהִים Gen. 1. v. 1. notet tres simul personas adorandæ Divinitatis: Tamen & quandoque uni sigillatim personæ tribuitur, ut Patri, Ps. 45. v. 8. & Filio, Hoseæ 1. v. 7. (quæ exempla adducit vel ipse Buxtorffius in Lexico Hebraico in voce אֱלוֹהַּ p. 28.) Et ratio est, quia nec prima, nec secunda, nec tertia divinitatis persona est solitariè & separatim Deus, sed Pater אֱלֹהִים non quasi ille sit tres personæ, sed quia non est sine Filio, & Spiritu S. Et Filius dicitur אֱלֹהִים non quia ipse sit Pater etiam & Spiritus S. sed quia non est sine patre & Sp. S. Et tertia deitatis persona dicitur רוּחַ אֱלֹהִים: quia est à Patre & Filio. Jam verò non sequitur: Una persona divina quandoque dicitur אֱלֹהִים E. nulla est earum à se invicem distinctio. Nam etsi una persona sic interdum dicatur, tamen hoc fit semper ob respectum Trinitatis personarum. Est enim inseparabilis trium personarum essentialis περιχώρησις & circumincessio.

ℵ. 4. Falsum est, Hebræos numquam suspicatos esse, hìc pluralitatem in Deo significari. Nam vel nonnulli Rabbini illam non tantùm hìc sunt suspicati, sed & eam hinc collegerunt, de quibus vide Galatinum lib. 2. de arcanis catholicæ veritatis cap. 9.

Quæ sequuntur in Enjedino, vide soluta à Jacobo Martini lib. 1. de tribus Elohim cap. 4. & confer D. Hunnii Anti-Pareum, & D. Meisneri partem secundam sobriæ Philosophiæ, p. 550. & seqq. & D. Helvicum p. m. in vindicatione Locorum S. Scripturæ p. 36. &c.

VINDICATIO LOCI Gen. 1. v. 2. *Et Spiritus Elohim incubabat aquis.*

Diversas recitat Enjedinus hujus dicti explicationes, & quidē primò Eorum, in quorū numero est Tertullianus lib. adversus Hermogenem, & Theodoret. in quæstionib. 8. super Genes. assumit explicationem, qui per spiritū hìc intelligunt *ventum*. Ast perperam. Nā 1. huic explicationi repugnat prædicatū מְרַחֶפֶת quod est participium fœmininum in piel, notatq; præsentiam non otiosam, sed operosā: quēad modū gallina suis ovis incubando ea fovet & animat. Confer Deut. 32. v. 11. & Jer. 23. v. 9. Sic igitur hic Spiritus incubuit aquis, ut vi quâdam effectoriâ & fabricatoriâ fotuq; vitali illæ sint & fœcundatæ & sustentatæ. Hoc divinæ potentiæ effectum nequit competere vento. Hoc argumentum urgent Hieron. Basilius & alii. Et rectè ex Rabbi Salomone monet Zanchius de trib. Elohim part. 1. lib. 7. 5. 1. quòd verbum רָחַף non notet movere simpliciter, sed sese movere instar avis animatæ. Quare isti rei, quæ non ùt vivens per se subsistit, hoc verbum in S. literis non adscribitur. At Ventus non est suppositum vivens E. Deo autem tribuitur hæc significatio, ab avib⁹ petita, per metaphorā. 2. S. Scriptura hunc Spiritum exponit de Spiritu creante, innovante, & ornante cælos & terram &c. Vide Ps. 33. v. 6. & 104. v. 30. & Job. 26. v. 13. & 33. v. 4. At hoc vento non competit. 3. Hic Spiritus dicitur Spiritus S. Esa. 63. v. 10. At ventus non dicitur Spiritus S. 4. Per hunc Spiritū locuti sunt sancti Dei homines, 2. Sam. 23. v. 2. & 2. Pet. 1. v. 21. At per ventum creatum non locuti sunt sancti Dei homines. 5. Ventus primo die nondū erat, quia cœpit demum educi die secundo, cum aëre & expanso. 6. Dicitur Spiritus Domini valde emphaticè, ut ab omnibus reliquis naturis apertè discernatur. Etsi verò ventus alibi dicatur Spiritus Domini, ùt Ps. 147. v. 18. tamen hìc eum non notat. Quæ regerit Enjedinus, vide soluta à Pareo in Commentario super Gen. p. 118. &c.

Secundò recenset Enjedinus, quosdam *esse, qui per Spiritum hìc intelligant non personam Deitatis, sed Dei virtutem & efficaciam.* R. Est elenchus oppositorum. Nam & Spiritus S. intelligitur, & simul virtus Dei connotatur. Spiritus S. enim est digitus Dei. Taceo, quòd

ceo, quòd actiones divinæ tribuantur ipsis divinis personis, & nuspiam divinæ virtuti, exclusis personis. Quare רוח hic notare nequit divinam virtutem, exclusâ divinâ Personâ, sed notat Spiritum Domini omnipotentem.

Tertiò commemorat Francisci Vallesii in lib. de S. Scripturâ sententiam, qui *per ventum hîc intelligit elementum ignis.* Quã explicationem ipse Enjedinus non iudicat ineptam. Ast falsò. Nam 1. Reliquas duas priores expositiones etiam approbavit Enjedinus. Quare ipsi una vox in uno axiomate simplici notabit tria, longissimè distincta & plusquam disparata, nempe ventum, virtutem divinam, & elementarem ignem. At hoc fieri nequit. Sic enim axioma simplex non maneret simplex. 2. Absurdum est dicere, ignem elementarem incubare aquis. Quia illud divinum effectum nequit igni tribui. 3. Elementa per se non existunt extra mista corpora. Quomodo ergò elementum ignis tum ita per se extitit? 4. Efficax divina actio seorsum exprimitur per רחף, incubare. E. Spiritus, qui distinguitur ab incubandi actu, non notat talem actionem.

Quartò enumerat nostram sententiam, quòd *nempe nos per Spiritum Domini hîc intelligamus tertiam Deitatis personam.* Quam explicationem ille nititur his evertere argumentis:

1. *Quia Moses non dixerit, illum Spiritum, qui aquis incubabat, fuisse Deum, sed Dei.* R. Est Spiritus Elohim, nempe Patris, Matth. 10. v. 20. & Filii, Christi, Rom. 8. v. 9. Hinc nihil aliud sequitur, quàm hunc Spiritum non esse ipsum Patrem, nec ipsum Filium, sed ab iis distingui ceu personam deitatis tertiam à primâ & secundâ.

2. *Quia Trinitarii hæc dicendo seipsos evertant, secumq; pugnent. Nam in antedicto loco affirment, Elohim significare tres divinitatis personas & proinde Sp. S. connotare: hîc verò Spiritũ ab illo, qui dicitur Elohim, distinguãt.* R. Vox Elohim quandoq; notat tres personas, ut Gen. 1. v. 1. quandoque duas, ut v. 2. quandoq; unam, ut Ps. 45. v. 8. (Quod figmentum non est, ùt tamen ait Enjedinus.) Ratio autem hujus distinctæ locutionis est, quia quælibet persona est *Trinitatis* persona, & una persona non est sine cæteris, sed est illarum essentialis περιχώρησις, quia sunt essentiâ unum, Jos. 10. v. 30. Nihili igitur est ista consequentia facienda, quam Enjedinus p. 14. conatur inde elicere.

3. *Quia Trinitarii dicant, opera Trinitatis ad extra, esse indivisa. At incubatio ista & molis inertis agitatio sit opus ad extra. Quomodo ergò, ait, hoc soli Spiritui Sancto tribuetur? Nam certè,* (inquit Enjedinus) *si Mosis verba sequamur, cogimur dicere, Spiritum, non autem Deum, fovisse aquas. Non enim dicit Moses, Deum Spiritum, vel Deum per Spiritum, sed Dei Spiritum fovisse aquas. Aut igitur iste Spiritus non erit Deus; Aut falsum est, opera Trinitatis ad extra, esse indivisa. Adhæc quid est, quòd Spiritus solus aquas dicitur fovisse, non autem cœlum & terram, quæ priùs erant creata? Atqui non tantùm aqua, sed & cælum & terra indigent Dei conservatione & providentiâ. E. appæret, hîc non agi de universali providentiâ & sustentatione Dei, quâres creatas conservat.* Hæc ille.

℟. 1. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, non simpliciter & promiscuè, demptâ omni omnino distinctione, sed servato personarum divinarum discrimine ordinéque & salvo distincto agendi modo, ùt fusè dilucidavi Fascic. 3. pag. 224. &c.

2. Falsum est, quòd Moses istam incubationem soli tribuat Spiritui S. Aliud enim est, *nominatim* aliquid tribui Spiritui S. aliud ei soli aliquid tribui. Illud enim non excludit Patrem & Filium. Hoc v. eos excludit. Sic Job. 26. v. 13. Spiritus Domini nominatim dicitur ornasse cælos: nec tamen solus id fecisse perhibetur. Etsi igitur ἐνεργῶς Spiritus dicatur fovisse aquas: non tamen ab hoc opere divino externo sive Deus Pater, sive Deus Filius excluditur: quia Spiritus Elohim, nempe patris & filii, id effecisse asseritur. Sicut itaq; est una numero Patris, Filii & Spiritus S. deitas, intellectus, & voluntas, ita & una eorum est incubatio super aquas.

3. Nec valet ista Enjedini oppositio: Spiritus dicitur fovisse aquas, & non cœlum & terram. Nam Moses non tantum non istam oppositionem habet, sed & illa apertè destruitur, Ps. 33. v. 6. & 104. v. 30. & Job 26. v. 13. & 33. v. 4. & Esa. 40. v. 12. 13.

4. Et notetur aperta hæretici contradictio. Nam jam negat, hîc agi de universali sustentione divinâ, quod antea pag. 10. affirmârat in secundâ dicti hujus explicatione. Majoris lucis ergò notandum est, quòd universalis Dei conservatio aliquando nominatim ad unam rem determinatur, v. g. ad *homines & jumenta*, Ps. 36. v. 8. nec tamen exinde tàm negari & destrui potest ejus universalitas,

versalitas, quàm negari nequit genus, quod uni speciei nominatim attribuitur. Etsi ergò incubatio Spiritus Elohim nominatim tribuatur aquis: non tamen inde vel potest vel debet ejus generalitas negari.

Atq; hinc patet, (ut hoc obiter addam) quàm noxia sit sententia Pererii, qui etsi super Gen. p. 25. rejiciat Cajetani opinionem, qui per Spiritum hîc intelligit *angelum*: tamen p. 27, ait: *Mihi certè prima, (quòd Spiritus notet ventum p. 25.) & tertia, (quòd per Sp. Domini significetur non ventus, nec Spiritus S. sed vis & impetus & efficacia quædam vitalis & fœcunditatis plena, aquis impressa, p. 26.) secundùm sensum literalẽ; quẽadmodũ secunda, (hæc interpretatio est de Spiritu S. p. 26.) secundum sensum mysticum maximè probatur.* Hæc ille, qui sine urgente ratione sinit sibi hoc argumentum pro divinarum personarum pluralitate militans, eripi, adeoq; sibi contradicit. Nam ipsi probatur maximè prima & simul tertia interpretatio hujus dicti. Atqui prima interpretatio est de vento. Tertia v. non de vento, sed de vi & impetu. Quomodo ergò utramque explicationem simul potest probare?

Vindicatio Loci Gen. 1. v. 26.

Et ait Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

PRO illustrando hoc testimonio, nota:

1. Nos exinde non probare velle multiplex numen, ut garrit tamen Enjedin⁹ p. 15. sed plures in unâ divinâ natura personas, quæ plures tribus non sunt, ùt in aliquot Dictis interpretatur Sp. S.

2. Deum, qui in initio Genes. dicitur creasse cælum & terrã. etiam hîc dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hîc ille unus creator, & unus Deus non alloquitur angelos, vel ullas alias creaturas (quia quos alloquitur, illos assumit in ipsum creationis actum. Solus v. Deus est creator hominis. Et quos alloquitur, ad illorum imaginem sumus facti. Atqui non ad angelorum, nec alîus creaturæ, sed ad Dei Imaginem sumus creati Gen. 1. v. 27.) sed seipsum: & tamen pluraliter loquitur, & quidem propriè.

3. Causam

3. Causam locutionis hujus pluralis non esse, ut suam dignitatem & excellentiã, more Magnatũ, exprimat. Sic enim 1. Deus semper de se pluraliter locutus esset: quẽadmodũ Magnates de se ipsis loquentes, semper eodem utuntur plurali sermone. At non hoc. E. 2. Nomen proprium personæ non expressisset pluraliter: Sicut Magnates nomen suæ personæ servant & retinent in singulari numero. At Deus pluraliter se nuncupavit Elohim: sed hanc causam esse tantùm pluralitatem divinarum personarum. Colligimus hinc ita: Si Deus Elohim propriè de se ait pluraliter: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: E. in divinâ essentiâ sunt plures. Secus propriè de se pluraliter loqui nec debuisset, nec potuisset. Omnis enim numerus pluralis, propriè, acceptus, notat & insinuat plures. Secus verè non esset pluralis numerus. At prius est. E. & posterius. Porrò: Si in Deo sunt plures: tùm illa pluralitas notat vel pluralitatem essentiæ divinæ, vel pluralitatem divinarum personarum. Non illam: Deus enim essentiâ unus est. E. hanc, Quam ternario numero Spiritus S. alibi comprehendit. Sophismata Enjedini ex professo solverunt Pareus super Gen. p. 246. &c. & Jacobus Martini de tribus Elohim lib. 1. cap. 8. Unde ego ab istis refellendis jam abstineo.

Vindicatio Loci Gen. 3. v. 23.

Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est,

Hic Deus, creator hominis, de se loquitur pluraliter, sine ullo tropo. E. in deitate sunt plures personæ. Nulla enim alia idonea ratio pluralis istius locutionis dari potest, quàm pluralitas divinarum personarum. Regerit Enjedinus p. 19. 20. *Deum respexisse ad verba diaboli v. 5. Eritis* אלהים *sicut Dii. Quibus non promittat homini identitatem & omnimodam æqualitatem, cum Deo, sed quandam ejus qualitatem, cognitionem nempe, & scientiam boni mali, quã etiam angelis Deus communicarit. Itaq; dubium non sit, quin hic Deus sibi conjunxerit angelos, dicens, unus ex nobis. &c.* Pererius in Gen. p. 291. scribit, *diabolum homini non promisisse æqualitatem Dei, sed singularem quandam & eximiam divinitatis similitudinem.*

R. 1. Non jam disputamus, de gradu assimilationis, an nempe diabolus homini promiserit perfectam cum Deo æqualitatem, vel

tem vel imperfectam, majorem tamen eâ, in quâ creatus fuerat : sed de objecto, quod serpens intelligit his verbis : *Eritis sicut Dii.* Dubium non est, quin intelligat Deum, creatorem hominis. Nam id probat cohærentia verborum v. 5. *Scit Elohim, quòd in quacunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis* אלהים At quando Satanas inquit, *scit Elohim*, non intelligit alium, quàm Deum creatorem, quem invidiæ eo ipso insimulavit. Taceo, quòd diabolus illam similitudinem intelligat, quam nondum protoplasti habebant, sed demum habituri erãt. At qualitatem scientiæ boni & mali angelicam jam tum habebant. E. illam non intelligit : sed aliquid majus & excellentius, nempe divinã excellentiam & honorem.

℟. 2. Omninò falsum est, quòd Deus, dicens : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* : intelligat angelos. Nam. 1. teste Enjedino, Deus respicit ad verba serpentis v. 5. Sicut ergò ibi non intelliguntur angeli; ita nec hîc. 2. Illos intelligit, quorum similitudinem homo seductus affectavit. At non affectavit similitudinem angelorum, quippe quam jam tum ante habebat, sed Dei. 3. Illos intelligit, quorum similitudinem, à Satana prædictam, homo non consecutus est. At Dei similitudinem, à Satana prædictam, homo non consecutus est. Non enim assecutus est ipsum divinum honorem, E.

Deinde excipit Enjedinus ex mente Calvini, Vocabulo, *nobis* etiam Adamum esse comprehensum. Quæ glossa per se sua inanitate collabascit. Nam homo primus jam ante distinctè erat à Deo nominatus, & apertè discriminatus ab his, quorum unus esse cupiit. Plura vide apud Pareum in Gen. p. 596. &c. & Jacob. Martini l. 1. de tribus Elohim cap. 9.

Vindicatio Loci Gen. 11. v. 7.

Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.

Fatetur Enjedinus p. 21. hunc locum planè genuinum esse illi, quem supra explicavimus Gen. 1. v. 26. Ergò quæcunq; ibi & à nobis dicta sunt, his applicari possunt.

Regerit autem Enjedinus, *si numerum Deo inesse ex hujusmodi dictis colligendum sit, non magis hoc Trinitariorum, quàm gentium idololatrarum fore telum.*

℟. Hoc negamus. Nam. 1. Numerus hic pluralis est nequaquam intelligendus respectu essentiæ divinæ, sed personarum divinarum. At gentes habuerunt multos Deos, quoad essentiam. 2. Numerus pluralis est ternario numero in S. literis definitus.

Deinde excipit Enjedinus, *non sequi, quos hîc alloquitur Deus, esse æquales, aut ejusdem naturæ cum ipso loquente: nec verum esse, quòd Deus eos, quos alloquitur, in pari secum gradu constituat: quia dicat, descendamus, quod non æquè competat Deo, & iis, ad quos habetur sermo.* Quin & addit, *Deum potuisse angelos alloqui &c.*

℟. 1. Falsum est, quòd Deus, quos hic alloquitur, sibi pares omnino non faciat. Nam divinum effectum, confusionem nempe linguarũ, sibi, & ipsis pariter tribuit: quemadmodum & descensum, qui notat singularem Dei perspicuam operationem. 2. Falsum est, quòd hîc angelos alloquatur (ut tamen & vult Pererius in Gen. p. 595.) Nam hic loquitur de actione sua immediata, in cujus consortium non venerunt angeli creati. Siquidem universalis oblivionis notionum & symbolorum in mentes hominum inductio, novarumq; intentionum & novorum signorum in easdem impressio est opus solius Dei, Job. 12. v. 20. Quod etiam ipse Deus solus & immediate hîc perfecit. Siquidem ait: *descendamus, & confundamus ibi labium eorum.* At nusquam in suo verbo Deus, in prima persona de se loquens, sibi associat angelos.

De reliquis, quæ inspergit Enjedinus, consulatur Pareus in Gen. p. 899 &c. & Jacob. Martini de trib. Elohim l. 1. c. 10.

Vindicatio Gen. 16. v. 13.

Vocavit autem nomen Iehovæ, qui loquebatur ad eam; Tu Deus quî vidisti me.

Ex hoc loco meritò probamus, Christum esse ipsum æternum Deum: quia, 1. Hic angelus v. 9. 10. pro authoritate divina loquens, ait: *Multiplicans multiplicabo semen tuum.* Confer & Gen. 21. v. 18. At angelus creatus nusquam ita loquitur. 2 Quia v. 11. indubiè scit, Agaram concepisse. Ubi non intelligitur scientia ex signis collecta, sed actus divinæ providentiæ: siquidè ipse dicitur Jehova, qui audivit afflictionem Agaris. 3. Quia v. 13. hic angelus, alloquens Agarem; dicitur

Iehova

Iehova & Deus simpliciter. Quòd autem hic Angelus sit Christus, probatur inde; quia Malach. 3. v. 1. fit mentio *Angeli fœderis*, per quem intelligi Christum, constat ex novo Testamento, Marci 1. v. 2. Nec immeritò. Deus Pater enim nusquam propriè dicitur Angelus (siquidem, sicut à Filio & Spiritu S. non est, ita nec ab iis mittitur.) Nec Spiritus S. expressè & nominaliter dicitur Angelus, tametsi dicatur à Patre & Filio mitti. Sic, qui dicitur *Angelus faciei Iehovæ*, à Spiritu ejus distinguitur, Esa. 63. v. 9. 10. E. Angelus est Filius, non Pater, non Spiritus S. Angelus Jehovæ, *nempe Patris*, *per Synecdochen generis*, inquit Piscator *Schol.* 7. p. 301. Sed perperam. Nam aliàs Jehova genericè prædicabitur de tribus personis, ceu tribus speciebus. Quod ἄτοπον. Filius ergò est ille Jehova & Angelus Jehovæ nempe Patris, à quo sicut ab æterno est genitus, ita in tempore ab eodem est missus, ut voluntatem divinam generi humano interpretaretur, *Ioh.* 1. v. 18.

Quid Enjedinus? Satis audacter annititur suum hoc effatum stabilire p. 23. *Nullum in veteri Testamento apparentem angelum fuisse Christum: quia* 1. *demum tempore N. T. Deus locutus sit per Christum, Heb.* 1. v. 1. 2. *Evangelistæ fateantur, se omnia, quæ ab initio Christus dixerit aut fecerit, initiúmq; sermonum & operum ejus descripsisse.* 3. *Quia author Epistolæ ad Heb.* 1. v. 5. *negat, ullum angelum fuisse Christum Dei.*

Ad. Hæ rationes sunt futiles. Nam 1. Deus Pater demum tempore N. T. locutus est per suum Filium, intellige *incarnatum*. At tempore V. T. locutus est per eundem, ut ἄσαρκον, 1. *Pet.* 1. v. 11. & 3. v. 19. 2. Evangelistæ descripserunt initium dictorum & factorum *Christi* h. e. *Filii Dei incarnati*. Interim & sæpè æternam ejus Deitatem luculenter attestati sunt. 3. Author epistolæ ad *Heb.* 1. v. 5. loquitur de angelis creatis, ex quorum numero eximit Christum v. 4. qui proinde tamen manet *Angelus increatus*: diciturq; Angelus, non quòd habeat angeli creati naturam *Heb.* 2. v. 16. sed quia jam inde à creatione mundi missus est ad homines peccatores, eosq; ipse, ut & per Patriarchas & Prophetas viam salutis æternæ consequendæ docuit. Hæc etsi satis pateant, tamen Enjedinus iis obstrepit, p. 24.

1. Ait, *hunc angelum diversum & alium fuisse à Deo mittente, & legante ipsum, si essentiam & naturam spectemus. At si officium & legati proprium spectemus, non temerè hoc concedendum esse: quia nuncius & legatus non tantum nomen legantis, verùm etiam personam ejus sustineat, &c.*

Resp. 1. Falsum est, hunc Angelum quoad essentiam & naturam fuisse alium à legante. Nam dicitur *Iehova*. At Jehova non nisi *unus* est. Una namq; est divina essentia & natura. 2. Falsum etiam est, legatum legantis nomen in casu recto sibi tribuere. At hic Angelus in casu recto dicitur יְהוָה & אֵל v. 13. Quare hic legatus est leganti ὁμοούσιος & consubstantialis.

2. *Pag.* 25. inquit, *ne illud quidem satis certum esse, utrum hic angelus dicatur Iehova. Neq; enim ita clarè, & perspicuè hoc scriptum sit, &c.* Resp. Quid audio? Nonne clarissima verba sunt *v.* 13. *Et vocavit nomen Iehovæ loquentis ad se: Tu Deus, videns me?* Ecce! Agar illum, qui ad se loquebatur, apertè & directè nuncupat *Iehovam & Deum*. At ille erat *Angelus Domini v.* 9. E. *Angelum Dei* vocat *Iehovam & Deum* absolutè & directè.

3. Ait, *Etiamsi daremus, hîc angelum vocari Iehovam, non tamen sequeretur, eum non esse creaturam. Nam Iehovæ nomen non soli Deo creatori, sed & multis rebus creatis attribuitur. Sic arca fœderis vocatur Iehova Num.* 10. 35. *&* 32. 20. *& Deut.* 12. 7. *Ios.* 24. 1. 2. *Reg.* 6. 2. *Ps.* 24. 8. *&c. Sic & Ierusalem, Ierem.* 31. 16. *Ezech.* 48. 35. *Sic altaria quædam, Exod.* 17. 15. *Iudic.* 6. 24. *Sic mons ille, ubi sacrificandus erat Isaac, Gen.* 22. 14. *Sic Iudices & sacerdotes, Deut.* 19. 17. *&c.*

Resp. Omninò falsum est, quod vox *Iehova absolutè & simpliciter*, posita, creaturis imposita, in verbo Dei reperiatur unquam. Est enim nomen *soli Deo* proprium Esa. 42. 8. & Ps. 83. 19. Nec in locis, ab Enjedino citatis, sive arca fœderis, sive Jerusalem, sive altare, sive mons, sive judex, sive sacerdos dicitur *nudè, simpliciter & directè* Jehova, ùt quilibet animadvertet, qui loca ista perlegerit attentè. Ut taceam, quod Josuæ 24. 1. non legatur vox יְהוָה sed אֱלֹהִים Confer D. Hunnium in Examine errorum Photinianorum, Cap. 3. p. 193. &c. Qui p. 223. statuit, *Nomen Iehova cum aliis compositum, in ipsâ compositione non manere idem, sed degenerare in aliud, à priore longè diversum.* Et concludit, *Iehova-Schammah, Iehova-Nissi, Iehova-Schalom, Iehova-Iireh, creaturarum nomina esse, non Dei.*

Tandem 4. excipit Enjedinus, *hanc consequentiam, Angelus iste non-creatus, aliùs fuit à mittente. E. fuit Filius, &c. non esse firmam.* Resp. Neque nos ita nudè colligimus, sed ex aliis dictis & solidis rationibus probamus,

mus, istum Angelum non esse alium, quàm Filium Dei. Ut supra edocui.

Vindicatio Loci Genes. 18. v. 2.

Ait Enjedinus p. 25. *nos hinc probare divinarum personarum trinitatem.* Quòd falsum est. Dicimus enim Filium Dei in formâ viri cum duobus angelis apparuisse Abrahamo. Quòd enim unus Angelus, (Filius Dei,) fuerit verus & altissimus Deus, & non cæteri, constat 1. Quia non omnes tres, sed unus ex illis dicitur *Iehova*, v. 1. 13. 14. 17. 19. 20. Unde falsitas axiomatis Enjedini effulget, scribentis, *quòd singuli illi tres nomine Iehovæ insigniantur*, p. 26. 27. 2. Quia unus tantùm dixit, v. 10. *revertendo revertar ad te, secundùm tempus vitæ, & ecce, filius (erit) Saræ, uxori tuæ.* At solus Deus dat liberos, *Ps.* 127. v. 3. 3. Quia ille, utpote *Iehova*, dixit: *Nunquid celare potero Abrahamum, quæ gesturus sum?* v. 18. 4. Quia ipse testatur v. 19. se eum esse *Iehovam*. qui in antegressis capitibus Abrahamum sit allocutus, ipsiq; tantas dederit promissione. 5. Quia, ut Dominus, ait v. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus est, &c.* 6. Quia duo Angeli apertè distinguuntur à *Iehovah*. v. 22. Illi enim abierunt Sodomam: hic mansit cum Abrahamo. 7. Quia ille, qui cum Abrahamo locutus est, adhuc dicitur *Iehova* v. 26. 32. sibiq, ut Domino, istam deletionem tribuit. At illa apertè adscribitur Deo altissimo, *Ier.* 50. 40 & *Amos* 4. 11. Hinc liquet abunde, falsum esse, quod scribit Enjedinus p. 26. hos *viros* (omnes illos putat) *fuisse ministros Dei.* Etsi enim duo fuerint angeli creati, uti constat, non solùm ex *Gen.* 19. v. 1. 12. sed & ex *Heb.* 13. 2. tamen unus fuit Deus altissimus. Qui cùm fuerit Filius Dei, (hic enim ante ἐνσάρκωσιν in formâ viri hominibus interdum apparuit) ideò ille est Deus altissimus.

Operæ pretium est, falsitates Enjedini reliquas etiam breviter excutere. Nam 1. p. 26. scribit, *legatum sustinere nomen & personam legantis.* Quod indistinctè sumtum, est falsum; Nullus enim legatus, (qui est in ordine creaturarum) in casu recto se vocat suum Dominum legantem; Neque id verè fieri potest. Duo enim distincti sunt; legans & legatus.

2. Falsum est, indistinctè loquendo, quod scribit Enjedinus p. 27. Abrahamum hos viros pro Deo non habuisse. Nam etsi in ini-

eio illos pro Deo non habuerit : tamen deinde unum illorum animadvertit, esse altissimum Deum, ùt effulget ex ipsius colloquio.

3. Pag. 28. inquit: *Cùm angeli, nomen & personam mittentis sustineant, etiamsi religiosè à consciis adorarentur: hoc tamen non esset sufficiens argumentum divinitatis illorum. Nam iste honor non ipsis angelis, sed principaliter Deo, à quo mittuntur, exhiberetur. Et ita nec homo illos adorans peccaret, nec angelus Deificaretur.* Hæc ille. Contra. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles*, Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. Qui ergò *divinè* colit eum, qui non est *naturâ Deus*, ille atrox patrat peccatum. Proindeque cultus & honor *religiosus*, certum est *Divinitatis* argumentum.

4. Colligit p. 28. *Si illi tres viri fuerint tres divinæ personæ, sequi, Patrem, Filium & Spiritum S. carnem induisse, & Filium ante matrem fuisse hominem.* Resp. 1. Non dicimus, quòd hi tres viri omnes fuerint divinæ personæ. Nec sequitur: Unus illorum fuit altissimus Deus. E. fuit incarnatus, & extitit homo Filius ante matrem, propterea, quòd corpus, in quo apparuit, non fuit *phasma & spectrum*. Nam etsi corpus illud non fuerit phasma & spectrum: tamen illud non assumserat ex puris Mariæ virginis sanguinibus, (quippe, quæ tum nondum erat in rerum naturâ) sed aliunde id sibi formârat; quemadmodum isti duo angeli verè habebant corpora humana. Unde tamen non sequitur, illos fuisse filios matris humanæ. Quia per generationem illa corpora non fuêre producta!

5. Putat hinc sequi, *immensum & incomprehensibile numen certo aliquo termino fuisse conclusum, &c. quod falsum.* Nam cùm alicubi Deus sese conspicuè revelat, tum in isto loco non concluditur: quia est & manet *infinitus & immensus*. Adhæc. Photiniani negant, *Deum essentiâ suâ esse immensum & infinitum*. Perperam.

6. Tandè ait, *hinc sequi, Deum esse divisibilem, ac proinde mortalem. Nam, inquit, isti tres non modò erant distincti numero & corporibus, verùm etiam à se invicem separati, & disjuncti loco fuerunt, &c.* Hæc ille. Cui respondeo. 1. Concedendo, quòd isti tres non fuerint tres divinæ personæ. 2. Negando, si Filius Dei in formâ viri apparuit, ergò ipsum fuisse mortalem. Nonne ipse Deus Pater olim apparuit in formâ antiqui dierum, Dan. 7. 13? Nec tamen propterea fuit mortalis.

VINDICATIO LOCI Gen. 19. 24.

Igitur Iehovah pluit super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem à Iehova de cœlo.

Nos hinc probamus, in Deitate duntaxat unam non esse personam: quia *Iehova* (Filius) à *Iehova* (Patre) dicitur, pluisse.

Hanc explicationem nititur Enjedinus his destruere argumentis:

1. *Quia eversio Sodomorum ubiq; in S. literis Deo Patri, non Filio attribuitur, ut videre sit, Amos. 4. v. 11. Ier. 50. v. 40. & 2. Pet. 2. v. 6. &c.* R. 1. Non sequitur: Eversio Sodomorum tribuitur Patri. E. Soli ei tribuitur, excluso Filio. 2. Amos 4. v. 11. & Jer. 50. v. 40. ista eversio adscribitur illi, qui est אֱלֹהִים At solus Pater non est אֱלֹהִים verùm etiam Filius & Spiritus S. Sic 2. Pet. 2. v. 6. ista subversio assignatur Deo. At pater solummodò non est Deus sed & Filius, & Spiritus S. 3. Eversio ista non potest Patri tantùm tribui. Quia, *quæcunq; Pater facit, hæc & Filius facit similiter*, Joh. 5. v. 19.

2. Deinde, inquit *p. 30. ex istâ Mosis narratione liquet, media illa, quorum ministerio usus est in hoc supplicio Deus, fuisse angelos. At angelos non posse Filium Dei denotare, supra ex Apostolo ostendimus. Quin si angeli aliquem, præter se significent, non posse alium, quàm mittentem ipsos, h. e. Deum Patrem repræsentare.*

R. 1. Deus hic ministerio quidem angelorum usus est, veruntamen & Deus Pater per Filium, ut *suam virtutem & sapientiam*, & hic ab ipso pluit ignem. 2. Falsum est, filium Dei non uspiam intelligi per Angelum. Contrarium enim videre est, Esa. 63. v. 9. ubi dicitur *Angelus faciei Dei;* (Est enim *character substantiæ Patris*. Heb. 1. v. 3.) & *Angelus fœderis*, Mal. 3. v. 1. quod ipsius sanguine effuso, est sancitum & stabilitum. 3. Falsum deniq; est, angelos mitti à solo Patre: siquidem mittuntur à Deo, qui est Pater, Filius & Spiritus S.

3. *Præterea*, inquit, *cùm isti dicant, omnes tres personas in terris, sub formâ angelorum fuisse, & ab Abrahamo visos esse: quomodo Filius à Patre, de cœlo, seu cœlitus pluit?*

R. Hoc quærere non est necesse. Siquidem Pater in Filio est. Quare, quando Filius fuit in terris, ab eo non distans fuit Pater, quasi ille sua θεότητα tantùm in cœlo fuerit.

His præmissis adfert Enjedinus triplicem istius loci explicationem, quæ

nem, quę se ipsam evertit: de quâ vide Jacobum Martini lib. 1. de tribus Elohim, Cap. 23. & 24. & 34. Et adjunge D. Hunnii Calvinum Judaizantem.

Vindicatio Loci Genes. 20. 13.

Fuit autem, quando errare me fecerunt אֱלֹהִים *de domo patris mei.*

Hic Abraham non loquitur de errore culpæ, in quam incurrere nos non facit Deus: sed de errore peregrinationis instabilis, cujus author fuit Deus אֱלֹהִים nempe Pater, Filius, & Spiritus S. Pluralis hic numerus, tùm nominis, tùm verbi non est nota pluralitatis divinæ essentiæ, ùt tamen libenter nobis affricaret Enjedinus *p.* 33. sed *divinarum personarum.* Nec sermo hìc est de angelis (ùt tamen asserit Calvinus,) sed de vero altissimo Deo, ùt constat ex collatione cum Gen. 12. v. 1. proindeque inane effugium est Calvini, qui per אֱלֹהִים hìc intelligit angelos. Quæ glossa valdè quidem arridet Enjedino. *p.* 33. 34. quatenus arma pro S. Trinitate adstruenda nobis eripit: Veruntamen tàm falsa est, ut ipse Enjedinus *p.* 34. fateatur, *saniorem esse illorum sententiam, qui verba hæc de vero Deo interpretantur.* Sed tamen negat pluralitatem divinarum personarum, hinc posse elici. Videamus ergò breviter ipsius argumenta:

1. *Quia sit enallage, quâ pluralis ponatur pro singulari.* ℟. Est petitio principii. Nec Deo convenit, de se honoris ergò loqui *pluraliter.*

2. *Quia Abraham respiciat ad cap. 12. Gen. v. 1. Ubi ipse Iehovam vocitet in singulari numero.* ℟. Ille Jehova seu Deus essentiâ unus, est אֱלֹהִים quia est plures personis. Non igitur sequitur, quòd sicut Jehova non nisi unus est, & proinde est *singularis numeri*: ita & vox אֱלֹהִים sensu sit *singularis numeri.*

3. Oggannit *p.* 35. *quòd possimus dicere, Abrahamum inter prophanas gentes peregrinantem, favorem & gratiam illarum captantem, & sibi valdè metuentem, accommodâsse, cùm aliis in rebus, tum in loquendi modo se gentibus &c.* ℟. 1. à posse ad esse non valet sequela. 2. Non possumus id ita explicare: secus Abraham foret hypocrita, & feciset mala, ut evenirent bona, & peccâsset in dictum Pauli, 1. Thess. 5. v. 22. *Ab omni specie mali abstinete.*

Vindi-

VINDICATIO LOCI Genes. 32. v. 24.

Et ecce Vir luctabatur cum eo usq; mané. Pererius *p.* 1154. scribit, *nusquam Filium Dei dici simpliciter & præcisè Angelum.* Quod falsum esse liquet vel ex Gen. 48. 16. Nos ergò hinc meritò probamus Deitatem Christi. Nam hic Athleta fuit Christus, Filius Dei, quod hinc constat, quia dicitur Angelus, *Gen.* 48. *v.* 16. & *Hos.* 12. *v.* 4. At nec Deus Pater, nec Spiritus S. dicitur Angelus nominaliter, sed solus Filius. At hic Athleta fuit verus & altissimus Deus, & nequaquàm angelus creatus. Nam primò. Unus angelus creatus pluraliter nusquàm dicitur אֱלֹהִים At hic athleta pluraliter dicitur אֱלֹהִים Gen. 32. 28. 30. 2. Quia ab eo, út *Domino*, benedictionem petiit Jacobus v. 26. quam & ille, út *Dominus*, ei contulit, v. 30. Quare *Pererius in Gen. p.* 1155. & *Enjedinus p.* 37. frustra objiciunt, quòd *& homines & angeli nobis benedicant.* Jacobus enim intelligit authorem benedictionis, nempe *Deum ipsum*, cujus benedictio describitur, Num. 6. 24. &c. 3. Quia Gen. 35. 1. dicitur אֵל *Dominus.* At angelus creatus non sic dicitur. 4. Quia Jacobus altare illi construxit, Gen. 35. 1. At angelo creato non extruitur altare, sed Deo altissimo. 5. Quia Jacobus Gen. 48. 16. ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* At intelligit verum Deum, & nequaquam invocat angelum creatum. 6. Quia ille Hos. 12. 6. dicitur *Iehova Deus exercituum.* At sic nusquam dicitur angelus creatus.

At regerit Enjedinus *p.* 36. *Hic athleta fuit infirmior homine, utpote, quem vicit Iacobus. E. non fuit Deus Israel, quippe, qui est omnipotens, & vinci ab homine nequit.*

℟. Negatur antecedens: quia ille fuit omnipotens Deus, út jam probavi. Quòd autem permisit, se vinci à Jacobo, fuit id argumentum non alicujus *impotentiæ*, (Nam homo nequidem angelum creatum, multo minus increatum, potest superare) sed certæ *Oeconomiæ.* Noluit enim majores exerere vires, quàm, quibus homo resistere posset. *Neminem enim sinit tentari ultra suas vires*, 1. *Cor.* 10. *v.* 13. Deus lusit cum Jacobo, non aliter, atq; Pater cum suo Filiolo. Pererius allegat, *Apoc.* 1. v. 4. Ubi non est sermo de angelis creatis, sed de Sp. S.

Regerit 2. *Hunc luctatorem supplicasse Iacobo & dixisse: Dimitte me; & Iacobum illum abire volentem, quasi invitum retinuisse. Quæ sint indigna & inconvenientia Deo æterno.*

R. Non fuit *supplicatio*, sed *tentatio*, quâ voluit experiri & probare Jacobum, an etiam fide & fidelibus precibus vellet ipsum firmiter retinere, & nequaquam langvefieri. Sic ipse Deus Israël dixit ad Mosen Exod. 32. v. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Quis inde rectè eliciet, Deum Mosi *supplicasse*? Cùm illa & similia dicta ostendant vim piarum precum, quæ tanta est ex Dei promittentis benignitate, ut retrahat ipsum Deum, ne furorem suum amplius exardescere sinat.

Regerit 3. *Hîc angelum dici Deum, non quia fuerit Deus, sed Dei Patris legatus: siquidem Dei legatus nomen & personam legantis & mittentis sustineat, p. 37.* (Pererius dicit, quod *fuerit angelus, quoad personam, seu personaliter: vocetur v. Deus representativè & authoritativè, quia Dei majestatem & authoritatem repræsentârit.*)

R. 1. Est Elenchus oppositorum: siquidem hic Angelus & Deus, & simul Dei patris legatus fuit. 2 Falsum est quòd ullus legatus, & quidem legantis nomen in casu recto sibi vendicat. Quod adeò verum est ut ne quidem Christus, legatus Patris sui vocetur ipse Pater, qui est prima S. Trinitatis persona, tametsi sit Deus.

Regerit 4. *Cùm ait Iacobus: Vidi Deum, & salva facta est anima mea, ipsum non dicere, se adeò salutem esse consecutum, quia viderit Deum, sed gratulari sibi, quòd cum angelum, qui personam Dei sustinuisset, viderit, non tamen mortuus sit: Quia à conspectu Dei, aut angeli, mortem secuturam putârint, ùt historia Gedeonis & Manue ostendat.*

R. Hinc potius nos deducimus argumentum, quòd iste Angelus fuerit verus Deus, & non creatus angelus. Etsi enim homines legantur, perterrefacti esse, quando angelus alîquis ipsis apparuit, tamen hoc fuit argumentum Dei ipsius, quando dixerunt, se ideò morituros, quandoquidem viderint *Angelum Domini*, & *Dominum*, qui est *ignis consumens*, Deut. 4. v. 24. ùt constat ex Exod. 20. v. 19. & 33. v. 20. &c. & Deut. 18. v. 16. & Judic. 6. v. 22. 23. & 13. v. 22. ubi Angelus increatus describitur.

Vindicatio Loci Gen. 35. v. 1.

Et dixit Elohim ad Iacob, surge, & ascende Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Deo, qui visus est tibi, cùm fugeres à facie Esau, fratris tui.

Nos hinc sic concludimus: Qui Jacobo apparuit & cum eo certavit,

certavit, is fuit *altissimus Iehova*. Nam 1. dicitur simpliciter *Iehova*. Genes. 28. vers. 16. 2. *Religiosum* ei votum fecit Jacobus, Genes. 28. vers. 20. Quod soli debetur Deo. Psalm. 50. vers. 14. & 66. v. 13. & Deut. 23. v. 21. 3. Jacobus ei *altare* extruxit, Gen. 35. v. 7. Quod angelo creato non competit. 4. Jacobus ipse intellexit, ipsum esse verum Deum. Nam locum, ubi apparuit, appellavit idcirco *Bethel* i. e. *domum Dei*, Gen. 28. v. 17. 22. & 35. v. 7. 5. Is, qui apparuit Jacobo, expressè dixit, Gen. 31. v. 13. *Ego sum ille Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi.* 6. Hic, nempe Gen. 35. v. 1. etiam testatur, eum, qui ipsi apparuerit, esse *Deum fortem*. At Jacobo apparuit *Angelus Domini*, Gen. 31. v. 11. E. Angelus Domini est, *altissimus Iehova*. Atqui per *Angelum Domini* intelligitur Christus. E.

Enjedinus 1. regerit p. 38. *hunc angelum se vocasse Deum, quia Dei fuerit legatus.*

℟. Est Elenchus causæ. Se enim non ideò dixit *Deum*, quia fuit Dei legatus. (Nam legatus in casu recto se nunquam vel dicit, vel rectè potest nuncupare ipsum legantem, secus angelus Gabriel à Deo ad Mariam missus Luc. 1. potuisset etiam dicere: *Ego sum Deus Israel,*) Sed quia fuit Dei unigenitus & proprius Filius, ab æterno genitus. Ubi & hoc notandum quòd ipse, qui dicitur *Elohim*, Angelum istum vocâvit *Deum fortem*, Gen. 35. v. 1. Etsi igitur vel maximè legatus ipse, se vocaret ipsum legantem, (ùt tamen salvâ veritate non potest) tamen quia legans suum legatum nunquam nuncupet seipsum, v. g. *Cæsar* de suo legato non dicit: *Ille est meus Cæsar*: Et verò ille, qui dicitur *Elohim*, hunc *Angelum* vocat ipsum *Deum fortem*; Hinc non potest non esse *Deus altissimus.*

Regerit 2. *Gen. cap. 35. & 28. nihil reperiri, quòd vel levem movere lectori suspicionem possit, Iacobum angelo erexisse altare: quia non angeli, sed tantum Dei in hu locu fiat mentio.*

℟. Hoc est apertum falsiloquium. Nam Jacobus votum de erigendo altari, ipsi *Iehovæ* fecerat, Gen. 28. v. 20. At Gen. 31. v. 11. 13. *Angelus Dei* ad Jacobum in somnis dixerat: *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi.* Rursus. *Elohim* dixit ad Jacobum, Gen. 35. v. 1. *Surge & ascende* Bethel *& habita ibi fac altare* לאל *De forti, qui apparuit tibi, cum fugeres Esavum fratrem tuum.* At ille fuit *Angelus Dei*, apparens Jacobo in forma viri, & luctans cum eo, Gen. 32. v. 24. &c.

VINDICATIO LOCI Gen.48.v.15.16.

Deus, qui me pascit ab adolescentiâ meâ usq; in præsentem diem, Angelus, qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis.

Hinc nos sic concludimus; Si hic Angelus fuit Christus; Ergò Christus est *altissimus Deus* At prius est. E.

Propositionis connexio probatur; Quia 1. hìc Angelus asseritur, esse *Deus*, Gen.28.v.13.&c. Gen.31.v.11.13.29.&32.v.9.10.11.24.&c.&c.35. v.1.&c. 2. Quia Jacobus isti Angelo tribuit effectum *soli Deo* proprium, nempe *ereptionem ex malis*, non quibusdam tantùm, sed & *omnibus*. Et proinde intelligit mala non tantùm corporalia, sed & *spiritualia*: Quæ sunt in animâ & corde, quæ sicut solus Deus aspicit, 1. Reg. 8. v.39. ita solus avertit. 3. *Benedictionem* & corporalem & spiritualem ab isto Angelo, ùt Domino, authore, effectore, & largitore benedictionis, religiosè petit. 4. Eundem *devotè & religiosè* invocat, ùt constat ex simili exemplo. Num.6.v.24.&c.

Assumtio probatur hinc: Quia 1. Cùm iste Angelus sit *Deus*, & verò non sit sive Pater, sive Spiritus S. utpote quorum neuter in Verbo Dei propriè dicitur *Angelus*, hinc ille concluditur esse *Christus*. In divinitate enim plures non sunt, quàm Pater, Filius & Spiritus S. Quod cùm notatur, ruit sophisma Enjedini p.39. 2. Quia iste Angelus emphaticè הַגֹּאֵל, *qui redemit*. Jam verò radix גָּאַל notat *redimere* non simpliciter, *sed jure propinquitatis*. Unde qui sanguinem propinqui interfecti vindicabat, dicebatur גֹּאֵל, Num.33.v.12. ùt & ille, qui propinqui sui, absque liberis defuncti, hæreditatem redimebat, Levit. 25. v. 25. Quare solus Filius Dei est talis noster גֹּאֵל quia ipse *carnis & sanguinis* nostri particeps redditus, *Frater* noster factus est, Heb.2.v.12. seq. & diabolum, *homicidam* nostrum Joh.8.v.44. abolevit, Heb.2.v. 14. & bona nostra spiritualia, & hæreditatem cœli, quæ peccando amiseramus, Gen.3. nobis *recuperavit*, Col.1.v. 12.13. & Joh.14. v.3.

3. Quia Jacobus hìc digitum intendit ad fœdus Dei, cum patribus initum. Versu enim 15. ait: *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei*, scil. cum quibus fœdus suum pepigit, Gen.17. & seqq. Et proinde Christum non potest non per Angelum intelligere: Christus enim est *Angelus istius fœderis*, Mal. 3. v.1. Unde & in novo instrumento dicitur μεσίτης N.T. Heb.9.v.15. Nugamenta Enjedini, quæ adfert p.39. 40. 41.

40.41. partim in superioribus, partim in jam facto Syllogismo sunt destructa, & exinde facilè omnia illa, quæ reliqua sunt, destrui possunt. Quare jam progredior à Mosis Genesi, ad Exodum.

Vindicatio Loci Exod. 3. v. 6.

Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

Nos ex Exod. cap. 3. sic concludimus:

Angelus Dei, qui v. 3. dicitur Mosi apparuisse in flammâ ignis de medio rubi, fuit rerus & *altissimus Deus.*

Atqui *Christus* fuit iste Angelus.

E. Christus est verus & altissimus Deus. Propositio probatur his argumentis: Quia

1. V. 4. iste Angelus simpliciter & absolutè dicitur *Iehova*; quod est nomen soli Deo proprium, Psalm. 83. v. 19. & Esa. 42. v. 8. & 54. v. 5.

2. V. eodem iste Angelus pluraliter dicitur אֱלֹהִים At nullus angelus creatus unus, pluraliter dicitur *Elohim.*

3. Ille, qui dicitur Elohim, ad Mosen, appropinquare volentem, dixit: *Ne appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis. Locus, in quo stas, terra sancta est.* At qui hoc non de angelo creato, sed de *vero Deo* in scripturis sanctis dicitur, ut videre est Jos. 5. v. 15.

4. Ille Angelus v. 6 ait: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* At iste titulus, non creaturæ ulli, sed *soli Deo* competit.

5. Moses, *abscondens faciem suam*, ipsum esse verum Deum, expressè agnovit, v. 6.

6. Ille Angelus tribuit sibi καρδιογνωσίαν, utpote quæ necessaria est ad gemitus cordis exaudiendos v. 7. 9. At nullus creatus, sed *solus Deus* est καρδιογνώστης, 1. Reg. 8, v. 39.

7. Illa *Omnipotentiæ* effecta sibi tribuit, v. 7. quæ ipse *Deus* sibi tantùm designat nominatim in promulgatione decalogi, Exod. 20. v. 1. & passim.

8. Ille Angelus est author *immediatæ vocationis* Mosis, v. 10. 12. Quæ non est angeli creati.

9. Sibi etiam hoc nomen tribuit, v. 12. 14. *Ero, qui ero*, quod

æquipollet voci *Iehovæ*. At sic nullus angelus creatus vel dicitur vel verè dici potest; sed *solus Deus*, teste ipso Deo, v. 15.

10. Præsentiam *divinæ gratiæ* sibi, ùt authori tribuit, v. 12.

11. *Futura cordis cogitata, dictaq; & facta* ex se ipso certò præsignificat, v. 18. & seqq. Quod est *solius Dei*, Esa. 46. v. 10.

Assumtio probatur: Quia

1. Solus *Filius* venit, titulo *Angeli Domini*, quando hîc notat divinam personam, ùt supra probavi. Atqui hic Angelus Domini est divina persona. E.

2. Paulus 1. Cor. 10. v. 4. testatur, quòd Christus fuerit ista Petra, quæ Judæos est comitata. Iste igitur Angelus Domini fuit Christus.

Videamus jam regestiones Enjedini.

1. Dicit p. 42. *quòd iste titulus: Esse Deum Abrahami, &c. competat soli Patri Christi, & proinde non ipsi Christo, Act. 3. vers. 13.* R. Hoc est falsum. Quia iste Angelus Domini, qui se Exod. 3. v. 4. vocavit Jehovam; sibi quoque istum titulum expressè adsignavit, v. 6. Et licet Patri iste titulus, Act. 3. v. 13. attribuatur, nullo tamen verbulo ibi habetur exclusiva ista Photiniana, quòd soli Patri tribuatur.

2. *Negat ex 1. Cor: 10. v. 4 posse probari, Christum fuisse Israelitarum ducem: quia dicatur Petra, consequens Israelitas. Nullus verò dux alicuius sequatur, sed præcedat eum.*

R. 1. Est Elenchus à particulari. Dux enim non semper quoad locum præcedit, sed & sequitur ducendum, ùt v. g. Pædagogus, pastor ovium, &c.

2. De Christo dicitur, quòd secutus sit Israelitas. At tantùm secutum eos esse, Paulus non dicit. Nam Christus fuit etiam *in medio illorum.*

3. *Ait p. 44. Ex Mosis, & Stephani narratione posse aliquem verisimiliter colligere, alium esse eum, qui Mosi apparuerit, & alium, qui locutus sit, seq; Iehovam ac Deum Patrum appellârit. Ita ut ignis ille in rubo ardens, dicatur angelus: At ille, qui è medio ignis est locutus, vocetur Iehova: quia & alibi S. Scriptura ignem vocet angelum Dei, ùt Heb. 1. v. 7. & Ps. 103. v. 4.* Quam suam opinionem confirmari posse putat ex *testimonio Christi, qui Matt.* 22. v. 3.

22. v. 32. & Marc. 12. v. 26. *dicat, sermonem ad Mosem habitum non ab angelo, sed à Deo profectum esse.*

℟. 1. Non desideramus verisimilia, sed vera apertè. 2. Falsum est, (ùt deinceps vel ipse concedet Enjedinus, p. 44.) aliũ fuisse eum, qui apparuit Mosi, & alium, qui ad ipsum est locutus. Nam Moses Exod. 3. v. 2. 3. 4. & Stephanus, Act. 7. v. 30. 31. &c *eundem eum* fuisse, luculentè docet. 3. Falsum est, Heb. 1. v. 7. & Ps. 104. v. 4. ignem *propriè* dici angelum Domini: quia ibi Deus dicitur *angelos suos facere spiritus, & ministros suos ignem fulgentem*, i. e. igni fulgenti in apparitione hominibus factâ, similes. Ad Exod. 3. v. 2. flamma ignis sumitur *propriè*, & ab Angelo Dei apertè, discriminatur. *Angelus enim Domini apparuit in flammâ ignis.* Finge jam, *Angelum Domini* fuisse ipsam flammam ignis, & sequetur hæc analysis inepta: *Angelus Domini*, id est, *flamma ignis*, apparuit *in flammâ ignis*. 4. Falsum est, quòd Matth. 22. v. 32. & Marc. 12. v. 26. Christus per modum *oppositionis* dicat, non Angelum Domini, sed Deum locutum esse ad Mosem. Nam istam oppositionem ipse non habet, quippe tantùm asserens, *Deum* locutum esse ad Mosen. At iste *Angelus Domini* fuit Deus. E.

4. Fingit nos sic argumentantes, p. 45. *Quod hîc tribuitur Iehovæ, à Stephano tribuitur angelo. E. angelus & Iehova ejusdem sunt essentiæ. Hanc viam secutus colligit ita: Hæc verba: Ego sum Deus Abraham: dixit Deus Exod. 3. Dixit angelus, Act. 7. dixit Moses, Luc. 20. v. 37. Nec tamen sunt propterea ejusdem essentiæ.*

℟. Apertus lusus! Nos enim non tàm à communitate *ejus attributionis*, quàm *identitate*, argumentamur hoc modo: Iste idem titulus: *Esse Deum Abraham &c.* eodem modo tribuitur *Angelo Domini & Iehovæ*. E. ejusdem sunt Essentiæ. At fatente Enjedino, Moses tantùm, ùt *historicus*, recensuit ista verba, Luc. 20. v. 37. Hactenus igitur est disparitas.

5. Excipit, p. 45. *Istum angelum Domini fuisse missum & legatum: Cùm igitur missio sit opus ad extra, tribus personis commune, sequi putat, angelum istum missum esse à tribus personis, atq; proinde à se etiam ipso. Unde elicere satagit, eundem esse mittentem & missum; eundem sibi ipsi imperâsse & paruisse, eundem Dominum & servum fuisse.*

℟. 1. Opera Trinitatis ad extra sunt quidem indivisa, sed non ab-

non absolutè, verùm κατά τι, nempè servato tum *ordine* trium divinarum personarum, tum *distincto agendi modo*. 2. Missionem Filii, quâ Filius est, *indistinctè* nolim dicere *opus ad extra*, hoc sensu, quasi quælibet divina persona literaliter dicatur mittere aliam, ùt deinceps prolixiùs dicam. 3. Falsa est hæc illatio: Filius est à Patre missus. E. est Patris servus: Nam ùt præteream silentio, quòd ne quidem in naturalibus & in politicis id semper sequatur; (Nam maritus & pater quandoque *mittit* maritam, vel filiam suam, quarum tamen neutra est ipsius *ancilla*.) Tantùm dico, quòd missio Filii à Patre non sit inferioris à superiore, (Filius enim est Deo patri ἴσος, Joh. 5. v. 18.) sed missus est Filius, ùt verbum *ex mente*, & *splendor solis ex sole*, *ac generaliter fulgor ex refulgente*, ut loquar cum Cyrillo, l. 4. in Joh. cap. 42. 4. Atque hinc solvitur facilè, quod adducit Enjedinus, *illum, qui mittitur & venit, mutare locum, & inde, ubi erat, eò, ubi non fuerat, proficisci*. Nam id verum est de missione *creaturæ*, quæ includit mutationem loci: non de missione FILII DEI. Quam cùm Arriani conarentur adulterare, respondit ipsis Cyrill. lib. 2. thes. cap. 15. *Missum se Filius à Patre dicit non mutatione locorum, (non est enim Deus in loco,) sed sicut calorem ex igne, aut illuminationem ex lumine, &c.*

FINIS Disp. I.

BONO Cùm DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII ANTI-ENJEDINI,

DISPUTATIO II.

Resp. M. JOHANNE FRIDERICO GERHARDO.

VINDICATIO LOCI Judic. 6. v. 12.

APPARUIT *ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime.*

Hinc nos sic colligimus: Hic Angelus est altissimus Deus.

At Christus est hic Angelus. E.

Propositionem probamus his argumentis: Quia

1. Absolutè & simpliciter dicitur *Iehova*, Judicum 6. v. 14. 16. 24. Quod nomen nulli creaturæ competit.

2. Promisit Gedeoni, quem propriâ authoritate miserat v. 14. *præsentiam divinæ gratiæ & protectionis* v. 16.

3. Gedeon ipsi *sacrificium* apportavit, quod soli debetur Deo, v. 18.

4. Angelus id acceptavit, v. 21. & quod sibi id placeat, *igni cœlitus demisso*, comprobavit ibid. Quod nullius est creaturæ.

5. Gedeon inde collegit indubiè, istum Angelum esse Dominum, v. 22.

6. Et in Ejus honorem *construxit altare*, v. 24. At tale altare homini non erigitur.

Assumtio probatur inde: quia nulla divina persona, præter secundam, dicitur Angelus Domini.

Regerit Enjedinus 1. *Angelum hunc dici Iehovam, eò quòd Iehova fuerit legatus.* R. Est Elenchus causæ, ut sæpè dictum est.

2. Ait, *Gedeonem nec voluisse offerre, nec obtulisse huic sacrificium.* R. Hoc repugnat apertè textui, v. 18. 19. 20. 21.

At nititur Enjedinus probare, quòd Gedeon non obtulerit sacrificium: quia 1. *nesciverit illum angelum esse Deum, cui soli esse sacrificandum sciverit.* 2. *Quia sciverit, sacrificium Deo non debere offerri, nisi in loco, à Deo per Mosen præscripto & electo: h. e. apud tabernaculum.* 3. *Quia coxerit carnes, quæ Deo non solitæ sint offerri.*

Ad 1. Resp. *Primitus* quidem nescivit, sed tamen *posteà* collegit, ipsum esse Deum, cui proinde sacrificium portavit. Ad 2. R. distinguendo inter sacrificium *ordinarium*, quod fiebat tantùm in loco ordinario, & *extraordinarium*, quale hoc fuit, ex approbatione Dei: sicut & Eliæ sacrificium fuit; 1. Reg. 18. v. 31. & 38. &c. Vide August. T. 4. super lib. Judic. c. 36. Ad 3. resp. sicut ad secundum per distinctionem inter sacrificium ordinarium & extraordinarium.

Vindicatio Loci Judic. 13. v. 5.

Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam sterilis es & absq; liberis, &c.

Similiter ex hoc capite colligimus:

Hic Angelus est verus ille Deus. At Christus est hic Angelus. E.

Major probatur: quia 1. iste Angelus simpliciter dicitur *Iehova*, v. 8. 19. 22. 23. 2. Quia *sacrificium* sibi offerri ritè jussit, v. 16. etsi, quemadmodum Christus, Matth. 19. v. 17. dixit, *solum Deum esse bonum*, sic & testatus sit, *Domino offerendum esse sacrificium.* 3. *Nomen, mirabilis, suum* esse fassus est, v. 18. Quod est *nomen Messiæ*, Esa. 9. v. 6. 4. Quia Manuah & uxor ipsius fassi sunt, ipsum esse *Deum*, idq; Spiritus S. approbavit, v. 22. 23.

Minor probatur ex præcedentibus. Quibus observatis, ruunt sophismata Enjedini. Unum autem ipsius sophisma nonnihil fusiùs dilucidabo, quod nuper quadantenus tetigi. Conatur enim nos ex nostris principiis confutare, quando dicimus, *opera Trinitatis ad extra*

extra esse indivisa. Jam dicit, *hunc angelum esse legatum & missum: missionem verò hanc esse opus ad extra. Si ergò hic angelus est filius Dei: sequentur hæc absurda, 1 Hunc angelum etiam à se esse missum: cùm tamen S. Scriptura dicat, filium non à semetipso venisse, sed à Patre missum esse in mundum: Nec idem esse possit mittens & missus. 2. Hunc angelum etiam à Spiritu S. esse missum: cùm tamen contrà Christus dicat, se missurum Spiritum S.*

Ad. 1. Hic Angelus est Filius Dei. Nec tamen adducta absurda inde sequuntur. Quæ ut magis eluceſcant, observandum est, quòd in missione divinæ personæ duo simul sint spectanda. 1. Quoniam fit *respectus* ad Personæ missæ *æternam productionem.* Nam Persona improducta non dicitur mitti ab aliâ. Quia ergò Deus Pater *à nemine alio* est productus, hinc & *à nullo alio* dicitur missus. Atque huc supra respexi, quando dixi, me nolle indistinctè dicere, missionem Filii, quà Filius est, esse *opus ad extra*, quasi quo ad literam in verbo *quelibet* divina persona dicatur mittere *aliam.* Quia enim Filius Dei æternus non est à *tribus divinis personis* ab æterno productus, sed tantùm *à Patre*, hinc nominatim *Pater* dicitur, si phrasin ipsam urgeamus, eum, quà Deus est, misisse, secundum textum S. Scripturæ. Quomodo verò res ipsa reliquis etiam personis nequaquam detrahenda, sed tribuenda sit, jam dicam. Nam 2. In missione divinæ personæ attenditur etiam *divina εὐδοκία* & connotatur *temporalis effectus*, qui est *opus ad extra*, tribus divinis personis, ex æquo communis. Quâ expositione & consideratione missio divinæ alicujus personæ meritò refertur inter opera ad extra, nempe quatenus fluit â *voluntate & decreto* S. Trinitatis communi, & complectitur *opus aliquod externum*, toti Trinitati commune. Missio enim hæc, quia facta est in *plenitudine temporis*, Gal. 4. v. 4. Opera verò Trinitatis *ad intra* sint ab æterno, hinc quilibet colligere potest, missionem hanc esse opus ad extra. Confer, si libet, Thomam 1. q. 43. & Suarez de Deo uno & trino lib. 12. cap. 1. & seqq. ubi docet, quòd divinæ personæ *missio* in sui ratione importet *habitudinem* ad productionem personæ.

Ad. 2. Prius absurdum etiam facilè discutitur. Nam Filius in verbo Dei, ἑαυτῶς quidem non dicitur *seipsum* misisse; quia *seipsum* non genuit, sed Pater. Missio autem divinæ personæ requirit ejusdem æternam productionem. Etsi ergò hæc missio Filio Dei hoc sensu

non competat, quasi Filius sit à *seipso*, tamen *divinum beneplacitum & decretum*, unde fluit ista missio, ùt & *actualis effectus* ad extra, ad quem tendit, & quem connotat ista missio, Filio Dei detrahi nequit. Quando autem Christus ait, Joh. 7. v. 28. *à me ipso non veni*: non negat, ad commune missionis divinum beneplacitum se concurrere, sed indicat, se non esse, ùt Pharisæi putabant, Doctorem, divinâ missione & vocatione *carentem*, sed se venisse in *nomine* Patris sui, Joh. 5. v. 43.

R. 3. Posterius absurdum etiam dissolvitur facilè. Nam etsi S. Scriptura, si apices literarum urgeamus, non dicat, quòd Spiritus S. miserit Christum, quà Deus est: non tamen à *decreto* missionis, ùt & *opere temporali*, quod in missione Filii inclusum est, potest aut debet excludi. Quemadmodum igitur *assumtio carnis* manet opus ad extra, propter commune *decretum* S. Trinitatis, *& operationem creatricem*, tametsi solus Filius *in se* assumserit carnem: Ita quoque missio Filii ad assumendam carnem manet opus ad extra propter commune S. Trinitatis *consilium & beneplacitum*, tametsi nominatim Deus Pater dicatur mittere Filium.

Vindicatio Loci 2. Sam. 7. v. 14.

Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.

Hinc nos sic concludimus: Christus hîc asseritur Filius Dei Patris (non per creationem, nec per adoptionem, nec per solam nuncupationem, sed) *unigenitus*; E. est verus & altissimus Deus.

Probatur antecedens, quia etsi suo modo in aliquibus punctis Salomon in allegato testimonio *connotetur*, (nam Filius ille dicitur *nomini Domini ædificaturus domum*, v. 13. Quod nominatim Salomoni tribuitur,) 1. Reg. 5. v. 5. 6. & 1. Paralip. 23. v. 9. 10. Quia & cum conditione, de illo dicitur, v. 14. *si iniqui aliquid gesserit*. Quod Salomoni & aliis Judæis competit, uti & de illis explicatur, Ps. 89. v. 31. &c.) Tamen ipsa *medulla* testimonii intelligitur de Christo. Nam 1. Hîc Filius dicitur Davidi futurus, *postquã dormivisset cum patribus suis*, v. 12. i. e. postquã mortuus esset. At Salomon Davidi viventi fuit Filius natus, 2. Sam. 12. v. 24. 2. Filio huic promittitur regnũ sempiternũ. Quale nõ fuit regnũ Salomonis. 3. Author epistolæ ad Heb. c. 1. v. 5. hoc testimonium interpretatur de *Christo*, & clarè ostendit, non intelligi Filium per creationem.

tionem vel per gratiam. Nam inde Christi *excellentiam præ angelis* probat: Quia *nulli angelorum* dixerit *unquam: Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Ac rursum: *Ego ero ei Pater, & ille erit mihi Filius.* Quare indicat Christum esse Filium Dei Patris *ex substantiâ ipsius* ab æterno genitum. Unde consequentiæ firmitas patet, quod Christus sit *naturâ Deus*, quia est naturâ Filius Dei.

Enjedinus regerit 1. *Esse prophetiam de futuro: & proinde tum nondum extitisse Christum.*

R. Verbis *futuri temporis* ideò Spiritus S. utitur, quia digitum intendit ad *futuram* Filii Dei incarnationem. Ergo hoc tantùm sequitur, quod Filius Dei *quà homo*, tum nondùm exiterit.

2. Ait, *hunc locum historicè & literaliter de Solomone exponendum esse.* R. *Imprimis* & vel *maximè* exponendus est de Christo, cujus typus in aliquibus fuit Salomon.

3. Garrit, *Apostolum Heb. 1. v. 5. partem hujus prophetiæ Christo applicare non historicè, sed mysticè.*

R. Est elenchus oppositorum. Nam ipse sensus *historicus & literalis* loquitur de Christo. Deinde *typica* ratio etiam subest; Salomon enim fuit *typus* Christi, tanquam antitypi.

4. Oggannit, *vocem Hebræam Olam, historicè de Salomone acceptã, notare regnum non æternum, sed diurnum: ad Christum verò mysticè translatam, notare regnum sine carens.*

R. Ipse Salomo Psal. 72. explicat de æternitate regni Filii sui. Quin & ipse David, Ps. 89. v. 30. 38. & Daniel. cap. 7. v. 14. & angelus, Luc. 1, v. 33. interpretantur id de *perpetuâ* regni istius duratione.

Vindicatio Loci Jobi, cap. 19. v. 25.

Scio enim, quòd Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum, &c.

Enjedinus negat, Jobum hic loqui de *mortuorum resurrectione*, quia *Hebræi sic ejus verba non sunt interpretati; & præterea Grammatica istam interpretationem refellat.*

R. 1. Si maximè Judæi dictum Jobi de mortuorum resurrectione non explicâssent; inde tamen probari non posset, quòd illud de mortuorum resurrectione minimè loqueretur. Ut taceam; Quòd nonnulli Rabbini, quos Dn. D. Meisnerus in elegante suâ disputa-

tione, de hoc dicto Jobi habitâ, citat, resurrectionem ex mortuis hîc à Jobo adstrui, fateãtur. 2. Nec præcepta Grammaticæ huic sententiæ refragantur. Nam Jobus ait: *Et ego scio Redemtorem meum viventem, & novissimò super pulverem stabit* (hoc est, ex mortuis resurrecturus est.) *Et postquam pellem meam contriverint*, (vermes corroserint) *hanc*, (intelli-ge, tum & illa surget, utpote ex mortuis excitanda,) *& de carne meâ videbo Deum. Quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt* (videbunt) *& non alienus.*

Deinde scribit Enjedinus p. 52. *Iobum his verbis suam sanitatem, & valetudinis pristinæ ac prosperæ restitutionem sperare: quia cap. 42. v. 12. Deus dicatur Iobo, benedixisse novissimò, & v. 5. Iobus asseratur Deum vidisse.*

Ad. 1. Apertè falsum est, Jobum hîc loqui de temporali pristinæ suæ valetudinis restitutione. Nam 1. Jobus refellit cap. 19. quod Bildad cap. 18. ipsi objecerat, uti liquet vel ex initio c. 19. v. 1. Ubi Jobus dicitur respondisse. At Bildad Jobo objecerat, quòd non esset post mortem victurus, sicuti constat ex cap. 18. v. 5. 11. 14. 2. Iobus cap. 19, v. 23. 24. optat, *suos sermones stylo ferreo, & plumbi laminâ exarari in libro, & ad perpetuitatem insculpi petræ.* At sanitatis suæ paulò pòst futuram recupetationem non sic optasset scribi; quia sic scribuntur singulariter magna, diu pòst futura. 3. Id intelligit Iobus, quod *indubiè* sciebat futurum. At se in pristinum sanitatis corporalis locum restitutum iri, non dubié sciebat, sed potiùs *mortis* cogitationes habebat. 4. Quin & dixit, *suam cutem & pellem corrosum (à vermibus) & contritum iri.* Quod fit post mortem. Quæ & similia alia argumenta probant, Iobum loqui, & de sui Redemtoris Christi, & de sui ipsius ex morte resurrectione.

Ad. 2. Cujus veritatis lucem nequit suis glossis extingvere Enjedinus. Nam Iobus cap. 42, v. 5. & 12. loquitur de sui liberatione ex immissis *ærumnis*: deque visione & perceptione *gratiosæ præsentiæ divinæ*: Cap. 19. intelligit visionem *gloriæ*, & tempus *diei novissimi*, quo ipse sit resurrecturus: Cap. verò 42. loquitur de visione *gratiæ*, & de postremâ *vitæ suæ* parte, quæ est priores ipsius ærumnas insecuta.

Tertiò Enjedinus nititur probare, quod Jobus nec de redemtoris sui *Christi*, nec de sui ipsius *resurrectione* ex mortuis loquatur. Quia 1. *per redemtorem hîc intelligi patrem, nihil impediat, qui sic dicatur 2. Sam. 7. v. 23.* 2. Quia *Vatablus & Mercerus hæc verba: novissimus super pulverem*

pulverem stabit: explicârint de stabilitate Dei, quippe qui omnibus hominibus, super terram habitantibus, consumtis, omnium postremus sit futurus, & æternùm perstaturus. 3. Quia non sit verisimile, Iobum aliquid de resurrectione Christi sciviſſe, aut cogitâſſe, cùm ne Apostoli quidem illam primò crediderint. 4. Quia verba hæc: Ex carne meâ videbo Deum: Vatablus & Mercerus sic explicârint: Ex afflictione carnis meæ sentio Deum esse. Et proinde, concludit Enjedinus, *quòd Iobus non agnoverit Christum esse Deum suum redemtorem viventem.*

℟. 1. Vocabulum גֹּאֵל non notat redemtorem simpliciter, sed *sanguinis* fœdere junctum vindicem & redemtorem per pretium expositum, ùt videre est, Num. 35. v. 12. & Levit. 25. v. 25. Proindéque nequaquam Christo iste titulus potest detrahi, quippe qui *carnis & sanguinis* nostri factus est particeps, Heb. 2. v. 14. & in ipso, & *ipsius sanguine* est nostrûm redemtio, Rom. 3. v. 24. 25. Eph. 1. v. 7. & Col. 1. v. 14. Nec causa ulla subest, cur 2. Sam. 7. v 23. de Christo non debeat exponi. Non dicam, quòd in illo loco non sit radix גָּאַל de quâ jam sermo est, sed פָּדָה. Hactenus igitur est elenchus alieni.

℟. 2. Inrerpretatio Vatabli & Merceri est hîc aliena, *tum* quia Bildad Jobo non objecerat, quòd neget stabilitatem Dei: *tum* quia Jobus solâ stabilitate Dei se non potuisset ita masculè erigere: *tum* quia intelligit suum redemtorem, ex mortuis novissimò resurrecturum.

℟. 3. Jobus verè credidit resurrectionem sui redemtoris Christi, & teste Paulo, 1. Cor. 15. v. 3. Christus *tertiâ die resurrexit secundùm scripturas*, nempe V. T. Nec sequitur: *Apostoli* tempore eo, quo nondum omnia poterant portare, non certò crediderunt Christi resurrectionem. E. nec Jobus eam certò credidit. Jobus enim ex illuminatione Spiritus S. eam credidit: sicut & deinceps Apostoli eam Spiritus S. gratiâ crediderunt.

℟. 4. Nusquam *caro* notat ipsam præcisè afflictionem, sed hæc illi adjungitur. Quæ cùm ita sint, nos ex dicto Jobi sic pro *Deitate* Christi concludimus: Jobus credidit in Christum, ùt *suum Deum*, redemtorem viventem, qui in temporis plenitudine sit pro genere humano passurus, moriturus, & tandem ex mortuis resurrecturus, adeóque Jobum resuscitaturus ad vitam æternam & beatificam vi-

cam visionem. E. Christus est *altissimus Deus*, sicut & nominatim Jobus eum vocitat אֱלוֹהַּ Nulla verò per se subsistens creatura in singulari numero dicitur אֱלוֹהַּ; tametsi angeli & magistratus pluraliter interdum dicuntur אֱלֹהִים.

Vindicatio Jobi 33. v. 4.

Spiritus Dei fecit me, & Spiraculum omnipotentis vivificat me.

Hinc nos pro *Spiritu S. Deitate* sic concludimus: Cui ùt authori tribuitur hominis creatio & vivificatio, ille est *altissimus Deus*, quippe cui soli illa tribuitur, Gen. 1.

At Spiritui Dei, ùt authori, tribuitur hominis creatio & vivificatio. E.

Regerit Enjedinus p. 55. quòd *Spiritus hic vocetur non Deus, sed Dei; quo loquendi modo adjunctum quoddam & attributum significari soleat: quemadmodum cùm dicimus, Spiritu Dei locutos esse Prophetas, non significemus, Spiritum Deum esse locutum, sed vim à Deo manantem excitâsse & inspirâsse homines.*

℟. 1. Quemadmodum non sequitur: Christus dicitur *Filius hominis* Matth. 16. v. 13. E. non est *homo*; Ita nec sequitur: Spiritus S. dicitur Spiritus *Dei*, E. non est *Deus*.

2. Distingue ergò inter vocem *Dei absolutè* acceptam, quatenus est communis tribus divinis personis, & tum Spiritus S. dicitur non *Dei* sed *Deus*: & *determinatè* acceptam pro personâ aliquâ divinâ. Quando ergò Spiritus S. dicitur *Spiritus Dei*, tum sensus est, quòd sit *Spiritus Patris*, Matth. 10. v. 20. & *Filii* Gal. 4. v. 6. Hoc ergo tantùm sequitur: Spiritus S. dicitur Spiritus Dei Patris, & Filii.) E. non est ipse Pater & Filius.

3. Falsum est, quòd quando Prophetæ dicuntur locuti *Spiritu Dei*, tum per Spiritum Dei non intelligatur *Deus*, sed vis à Deo manans. Nam vis à Deo manans nusquam in Scripturis dicitur *Spiritus* S. ducens Prophetas & Apostolos in omnem veritatem & loquens in illis: siquidem id competit personæ divinæ, sicut videre est, Joh. 16. v. 13. & 2. Pet. 1. v. 21. Jacob 5. v. 10. Matth. 10. v. 20. Sic Paulus 1. Cor. 12. *Spiritum S.* apertè discernit à *suis donis*, & ne quis dubitet illum esse verissimam divinitatis personam, ideò ait v. 11. *Spiritus dividit* (*sua* χαρίσματα) peculiariter unicuiq; *sicut vult*. Quemadmodum igitur minimè valet

nimè valet collectio: Ipse *Deus Israel locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, prophetarum suorum*, Luc. 1. v. 70. E. ipse Deus Israêl non est *divinum suppositum*. Ita nec hæc valet: *Spiritus Domini* locutus est per prophetas. E. non est *persona Divina*. Quin potiùs, quia qui locutus est per prophetas, est *Deus Israel*. Et verò S. Scriptura testatur, quòd ille, qui per eos locutus est, sit *Spiritus S.* hinc ineluctabiliter evincitur *Spiritus S.* esse *altissimus Deus*.

Deinde objicit Enjedinus, *ipsis Dei manibus tribui hominis formationem Iob. 10. v. 8. & digitis Dei cælorum creationem, Ps. 8. v. 4. cùm tamen nec manus, nec digiti Dei sint persona divina.*

Ad. 1. Est elenchus parium. Quia *manus, digiti & reliqua membra* Deo tribuuntur per ἀνθρωποπάθειαν: *Spiritus S.* verò non per ἀνθρωποπάθειαν dicitur.

2. Quòd si Luc. 11. v. 20. per *digitum Dei* intelligitur *Spiritus S.* uti nonnulli interpretes explicant ex collatione, Matth. 12. v. 28. tum falsum est, quòd *digitus Dei* non sit *persona*.

Porrò opponit, *amicum Iobi, qui hæc verba protulerit, allusisse & respexisse ad historiam creationis hominis: proindéq; per spiraculum omnipotentis intelligere spiraculum vitæ, Gen. 2. v. 7.*

Ad. 1. Quid si ex hypothesi hoc concederemus, non tamen evinci posset, quòd per *Spiritum Domini* etiam intelligeretur *spiraculum illud vitæ*, cujus mentionem facit Moses? Falsum est, quòd Gen. 2. v. 7. & Job. 33. v. 4. *idem spiraculum* intelligatur: Nam ibi Deus dicitur *inspirâsse in nares hominis spiraculum vitarum*, h. e. indidisse ipsi ψυχὴν ἐνεργοῦσαν καὶ πνεῦμα ζωτικὸν, sicut explicatur, Sap. 15. v. 11. Hîc verò *spiraculum omnipotentis* dicitur *vivificâsse* amicum Jobi. Sicut igitur causa non est suum effectum: Ita *spiraculum omnipotentis vivificans, seu vitam dans* non est ipse *halitus vitarum* à Mose descriptus.

Quia verò Enjedinus ait, *Trinitarios ex hoc dicto Trinitatem elicere, hinc eis objectat, si tot sint in Deo personæ statuendæ, quot hîc voces habentur, tùm quatuor fore personas.*

Ad. Non ex numero *vocum*, sed ex *reipsâ* colligimus Trinitatem. Quia enim hic *Spiritus* dicitur DEI: & verò S. Scriptura testatur, Spiritum S. esse Spiritum *Patris & Filii*, oportet ergò secundùm explicationem S. Scripturæ, in divinitate esse tres Personas.

Deinde ait: *Si autem dicant, Spiritum & Spiraculum pro eodem accipi: pariter & ego dicam Deum & omnipotentem pro eodem accipi, &c.*

℟. Spiritus est Dei (*Patris & Filii*) *omnipotentis.* Et proinde non tantùm *duæ* hîc erunt personæ, sed *tres.*

VINDICATIO LOCI Psalm. 2. v. 7.

Iehovâ dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui &c.

Asserit Enjedinus p. 57. *Psalmum Davidis secundum, literaliter de Davide, spiritualiter de Messiâ, seu Christo loqui.*

Quia 1. *Hebræi omnes id testantur.* ℟. Falsum hoc est: siquidem Rabbi Salomo fatetur, quòd veteres Rabbini psalmum hunc de *Rege Messiâ*, qui in prophetis & psalmis promittatur, interpretati sunt; Recentiores autem propter hæreticos (quales vocant Christianos & conversos Judæos) illam veterum expositionem rejecerunt.

Quia 2. *Author hujus psalmi loquatur de re vel transactâ vel certè præsenti. At Iesus Christus, inquit, tempore conscripti hujus cantici secundùm humanitatem quidem nondum erat. E. contra eum fremere & insurgere populi ac reges non potuerunt. Secundùm divinitatem verò si extitit, hostes & reges terræ, qui ipsum ex solio regio deturbare conati fuissent, nullos habuit.*

℟. 1. Prophetæ de *rebus futuris* sæpè loquuntur verbis *præteriti vel præsentis* temporis, ad indicandam rerum prædictarum certitudinem. Etsi ergò Christus, quâ homo, tempore Davidis nondum extiterit: tamen de illo loquitur hic Psalmus 2.

Falsum est, quòd Christus, quâ Deus, hostes non habuerit. Nonne enim Judæi hostili animo & ejus deitatem & officium etiam regium, oppugnarunt?

Quia 3. *quæ v. 1. & 2. dicuntur, Christo non obtigerint.* ℟. Contrarium testatur Spiritus S. Act. 4. v. 25. 26. 27. 28. Nec hic vincula intelliguntur *corporalia*, sed *spiritualia.* Quando enim isti hostes Christi feruntur dixisse: *Disrumpamus vincula*, sensus est, quod divinam legem & cœlestem doctrinam, quâ spiritualiter ligantur, peccatores contempserint. Vide talem vinculorum acceptionem, Jer. 2. v. 20. & cap. 5. v. 5.

Quia 4. *hîc continua texatur historia de eâdem personâ, & tempore continuato cuncta narrentur. At novi Testi scriptores, cùm hujus Psalmi verba & sententias citant diversis personis & temporibus illa accommodent*, Act. 4. v. 25. &c.

25. &c. & 13. vers. 33. Heb. 1. vers. 5. & 5. vers. 5. Apoc. 2. vers. 26. & 19. vers. 15.

℟. Ad singula N.T. dicta, in quibus Psalmus secundus citatur, nonnihil majoris lucis gratiâ addam. Act. 4. v. 25. 26. 27. Psalmus secundus applicatur ad *Christum*, cujus tamen membra, nempe pii homines, non excluduntur à passionibus ipsius: sicut persecutiones, quas sustinent, ipse *Christus* sibi tribuit. Confer Act. 9. v. 4. Deinde Act. 13. v. 33. Psalmus secundus non applicatur *immediatè* ad Christi resurrectionem probandam; quippe quæ v. 34. demum probatur ex Esa. 55. v. 3. sed in genere ad *Evangelicæ promissionis* de Christo, Filio Dei, impletionem. Paulus enim ait, quòd non in solo Psalmo secundo, sed, *& in ipso* scripta sit ista de Christo, ἐπαγγελία ad patres facta. Porro ad Heb. 1. v. 5. apertè v. 7. *Psalmi secundi* allegatur, ad probandam infinitæ majestatis *Christi* præcellentiâ præ angelis. Et proinde Verba illa: *Ego hodie genui te*: de æternâ Filii Dei generatione propriè explicamus. Sic Heb. 5. v. 5. Christus asseritur non *semetipsum glorificâsse, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixerat* ipsi (id est, Deus Pater) *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hinc tamen non sequitur, quòd verborum istorum: *Ego hodie genui te*: sensus sit: *Ego glorificavi te in tempore*. Quando autem Apoc. 2. v. 26. 27. verba Psalmi 2. v. 9. applicantur ad fideles, quæ Apoc. 19. v. 15. tribuuntur ipsi Christo, hoc fit inde, quia Christus *suis fidelibus* dat *potestatem vincendi hostes*, sicut docet v. 28. cap. 2. Apoc. & eos suæ victoriæ & regni facit participes. Confer Joh. 16. v. 33. Luc. 22. v. 29. & 2. Tim. 2. v. 12. Cùm itaq; in N. T. Psalmus secundus *literaliter* de *Christo* sic explicetur, ut ejus v. 7. de *nullo alio*, quàm *Christo*, exponatur, cur ab illâ *literali* expositione discederemus? Quare impiè facit Enjedinus, dum versum 7. de *Davide propriè* explicat p. 58. 59. negatq; p. 60. istum versum *loqui de æternâ Christi generatione ex substantiâ Patris*. Videamus autem negationis istius rationes.

1. Sic colligit: *Æternus Dei Filius est ipsi æqualis. At hic, de quo David loquitur, non est ipsi æqualis, sed eo minor; quia 1. ab ipso est constitutus rex. 2. ab ipso petiit & accepit regnum.*

℟. 1. Assumtio est distinguenda. Nam Christus est Patri æqualis secundùm divinitatem; minor autem eo secundùm humanitatem. 2. Constitutio Regis, & regni Christi hic complectitur & ipsum

æternum tribus divinis personis commune *decretum & beneplacitum* de statuto & ordinato Rege, & Messiâ Christo, & simul *ipsam æternam Christi destinationem* ad officium mediatorium, & proinde nullam Christi inferioritatem importat. Confer Fasciculum tertium Dissertat. Theolog. p. 266. 3. *Postulare* dicitur hìc Christus juxta humanam naturam, respectu cujus, Patre *minor* est.

2. Sic argutatur: *De eo Filio loquitur hìc scriptura, qui certo tempore à Deo genitus est. Dicit enim: Ego hodie genui te. Hodie autem in Scripturâ nunquam notat æternitatem, sed semper tempus determinatum, ut Exod. 14. v. 13. Luc. 19. v. 9. &c. Sed Filius ille æternus certo tempore non est genitus, &c.*

℟. Propositio est falsa. Nam Deus Pater ab omni æternitate ex suâ substantiâ genitum in *sinu suo* habuit existentem Filium Joh. 1. v. 18. Prov. 8. v. 20. Mich. 5. v. 2. Quod & hinc constat. Nam Christus est *virtus & sapientia Patris*, 1. Cor. 1. v. 24. Quòd si igitur Christus non extitit ab æterno, tum Deus Pater ab æterno fuit expers suæ virtutis & sapientiæ. Quod absonum. Et nonné in Christo ab æterno sumus electi, Eph. 1. v. 4. *Hodie* ergò hic non notat tempus *determinatum*, sed *æternitatem*, quam S. Scriptura describit vocabulis à tempore desumtis, ut condescendat ad nostrum captum. Proinde *Tò genui* hic nequaquam notat *actionem præteritam & cessantem*. Nec verum est, quòd *Tò hodie* in Scripturâ semper denotet tempus determinatum. Nam & notat aliquando tempus *continuum*, Ps. 95. v. 8. & Heb. 3. v. 7.

Tertiò ait Enjedinus p. 61. 62. *Apostolus hanc Prophetiam ei applicat, Act. 13. v. 33. qui mortuus & resuscitatus est: qui novissimis diebus locutus, & à Deo hæres constitutus est, Heb. 1. v. 2. qui clarificatus est à Deo, & ab eo pontificatum accepit, Heb. 5. v. 5. Quæ non competant Filio Dei æterno.*

℟. In tempore mortuum, resuscitatum, & clarificatum esse, non equidem competunt æterno Dei Filio in *deitate suâ*: Interim tamen ipse æternus Dei Patris Filius in *suâ carne* est passus, mortuus, resuscitatus, clarificatus, teste Scripturâ. Cùm itaq; Spiritus S. v. 7. Ps. 2. explicet de *æternâ Filii Dei generatione*, propriè dictâ, hinc evanescunt omnia Sophismata Enjedini, quæ p. 62. 63. adfert de *declaratione* Filii Dei. Aliud enim est *gignere*, & aliud *genitum declarare*. Plura de Psalmo secundo vide apud Dn. D. Johannem Majorem in insigni disputatione Theologicâ περὶ γεννήσεως καὶ ὑιότητος Christi Salvatoris.

VINDICATIO Psalm 22. v. 17.

Foderunt manus meas, & pedes meos,

Disputat Enjedinus p. 63. hæc verba *literaliter & historicè non esse scripta de Iesu Christo.*

Quia 1. *Christus tempore Davidis, manus & pedes, qui perforari possent, nondum habuerit.*

R. Non sequitur: Christus tempore Davidis nondum habuit *corpus*. E. illa verba de eo *literaliter* non possunt intelligi. Quemadmodum non sequitur: Tempore Esaiæ Filius Dei nondum habuit *corpus*. E. cap. 53. de eo *literaliter* nequit intelligi, utpote in quo fit mentio, quomodo sit (in suo corpore) *percussus, afflictus, flagellatus*, &c. Nonné Enjedinus scire vult, quòd Prophetæ de *rebus futuris* vaticinentur *verbis præteriti vel præsentis temporis*?

Quia 2. *ille, de quo hæc historicè cantentur, jam tum ex utero suæ matris natus fuerit, ùt pateat ex v.* 10.

R. Negatur id, cùm iste versus intelligatur de *Christo*, quippe qui tum ex Mariâ virgine nondum natus erat: tametsi *David* jam tum fuerat in lucem editus.

Quia 3. *Lectio textus hujus variet, &c.*

R. Quàm ridicula collectio? Lectio variat. E. de Christo *literaliter* intelligi non debet! De lectionis autem variatione, consule D. Helvicum in vindicatione L. V. T. p. 17. &c.

VINDICATIO Loci Psalmi 24. v. 7.

Attollite portæ capita vestra, & attollite vos fores seculi, ùt ingrediatur rex gloriæ.

Hinc nos sic colligimus:

Rex gloriæ est Jehova Zebaoth. *Christus* est ille Rex gloriæ, quia est Dominus gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. E.

Regerit Enjedinus p. 65. *aliud esse, regem gloriæ, & aliud dominum gloriæ esse. Neq; Apostolum verba Psalmi citâsse, sed similem tantùm illis sententiam protulisse.* Deinde ait, *quòd Rex gloriæ idem sit, atq; Rex gloriosus, qui non statim sit Deus, sicut vir gloriosus, Syrac. c. 44. v. 1. non idem sit, atq; Deus. Vult itaq; propriè & principaliter solius Dei Patris titulum illum esse, & Christum esse gloriosum, quia Pater eum glorificârit.* Hinc scribit, *Davidem in Spiritu Pro-*

phetice, & per prosopopœian, muros & portas templi Ieroſolymitani extruendi alloqui, & arcam fœderis vocare Regem gloriæ.

R. 1. Esse *Regem gloriæ*, & *Dominum gloriæ*, in Christo coincidunt: quippe qui simul est *Rex regum & Dominus dominantium*, 1. Tim. 6. v. 15. Apoc. 17. v. 14. & 19. v. 16.

2. Etsi Apostolus verba ea Davidis disertè non citârit, tamen quòd Christus per *Regem gloriæ* intelligatur, rectè probatur ex 1. Cor. 2. v. 8. Qui enim est *Dominus gloriæ infinitæ*, ille etiam est *Rex gloriæ*: *Dominus* enim & *Regnum divinum* à se invicem sunt inseparabilia.

3. In exemplo ex Syracide citato, committitur elenchus parium. Ibi enim *viri glorioſi* dicuntur ii, qui gloriâ & laude (finitâ tamen) digni sunt &c. Quando autem Christus dicitur *Dominus gloriæ*, intelligitur *gloria infinita*, nempe Dei Patris, Matth. 16. v. 27.

4. Non *principaliter* Deus Pater dicitur Dominus gloriæ. Nam personæ divinitatis sunt *æqualis* honoris & gloriæ, teste Christo, Ioh. 5. versu 18.

5. Exaltatio & glorificatio Christi in tempore facta, non est *adæquata ratio* gloriæ Christi, (siquidem gloriam suam *divinam apud Patrem suum habuit, antequam mundus hic fuit*, Joh. 17. v. 5.) sed est inthronisatio Christi, ut homo est, in regnum suum glorioſum plenè administrandum. Nam post passionem & mortem, resurrectionemque ex mortuis intravit in gloriam suam, Luc. 24. v. 26.

6. Falsum est, quod *muros & portas* templi Jeroſolymitani alloquatur, ut *dominum gloriæ* i. e. *arcam fœderis* intromittant. Templum enim Jeroſolymitanum tum nondum erat extructum. Alloquitur autem etiam illos, qui jam tum existebant. Nec unquam *arca* fœderis dicitur *Rex gloriæ* & *Iehova exercituum*: quia est nomen soli Deo proprium Esa. 42. v. 8.

Vindicatio Psalm. 33. v. 6.

Verbo Iehovæ cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

Scribit Enjedinus, *per Verbum Iehovæ hîc non intelligi Filium Dei, Christum sed vocem, jussionem & mandatum Dei, ut constet tum ex Gen. 1. v. 2. ad quem David respiciat, tum ex v. 4. & 9 Psal. 33.* Nec vult concedere, *per Spiritum oris Iehovæ hîc intelligi tertiam Deitatis personam, sed vocem ore prolatam, aut*

tam, aut flatum & halitum emissum, ut Iob. 15. v. 30 & 2. Thess. 2. v. 8 & Esa. 11. v. 4. Adeoq; addit, *nos nunquam ostendere posse, quòd per Spiritum oris Iehovæ notetur persona per se subsistens. Hinc verbum & Spiritum oris Iehovæ pro eodem poni putat p. 68.* Quam Photinianam glossam Piscator, secutus Calvinum, non tantùm hic approbat, verùm etiam nostram expositionem apertè rejicit.

℣. Quòd per *Verbum Iehovæ* hìc intelligatur *Filius Dei*, constat tùm ex Gen. 1. v. 3. tùm ex Joh. 1. v. 3. 10. Quòd enim ibi Johannes intelligat non λόγων προφορικὸν, sed *Filium Dei*, patet ex v. 14. & passim. Nec sequitur ℣. 4. Ps. 33. per *Verbum Domini* intelligitur Verbum προφορικὸν. E. & v. 6. Quia est elenchus parium. Nam v. 4. intelligitur *verbum Legis & Evangelii*. Quod v. 6. non intelligitur. Nam ibi *Verbo Domini* dicuntur *cœli facti seu creati*. At verbo Legis & Evangelii Deus non creavit cœlos. Hinc Johannes illud *Verbum* explicat de λόγῳ per se subsistente cap. 1. At Ps. 33. v. 4. & 9. intelligi Verbum προφορικὸν, *prolatitium & mandatum Dei*, satis liquet. Quòd item per *Spiritum oris Iehovæ* intelligatur divina *persona*, hoc inde liquet, quia hìc fit respectus ad Gen. 1. v. 2. ubi per *Spiritum Domini* intelligi divinitatis personam, supra probavi. Et pronunciatum nimis audax & fallax est, nunquam posse ostendi, quòd per *Spiritum oris Domini* intelligatur ὑφισάμενον. Nam *Spiritus Domini* dicitur ipse *Deus Israel*, Luc. 1. v. 68. 70. collatis cum 2. Sam. 23. v. 2. Et quæro ex omnibus cordatis, an hæc glossa possit consistere: *Spiritu oris Domini omnis exercitus cœlorum* (id est, omnes stellæ) sunt creati, hoc est, *halitu Domini* illi sunt creati? Ubi, quæso, illa glossa in Verbo Dei reperitur? Et ubi Deus scribitur, halitu creâsse cœlos? Nec obstant loca, ab Enjedino citata. Nam Job. 15. v. 30. est alienus. Siquidem ibi intelligitur *Spiritus oris flammæ*, sicut D. Lutheri versio Germanica etiam testatur. Quod verò Jobus *Spiritum Domini* crediderit esse *Deum*, constat ex c. 26. v. 13. & 33. v. 6. Deinde Esa. 11. v. 4. & 2. Thess. 2. v. 8. per *Spiritum oris Iehovæ* non intelligitur *halitus emissus*, sed ipse *Spiritus consilii & fortitudinis, & sapientiæ, & scientiæ, recumbens super Christum*, Esa. 11. v. 1. 2. Et Christus 2. Thess. 2. v. 8. dicitur confecturus Anti-Christum hoc *suo Spiritu*, verùm non immediatè, sed mediatè, nempè *virgâ oris sui*, & verbo suo prædicato. Quia ergò per τὸν λόγον hìc intelligitur *Filius Dei*, & per Spiritum indicatur *tertia divinitatis per-*

nitatis persona, proinde non est exegesis ejusdem per idem. Taceo, quòd in S. literis ὁ λόγος nuspiam nuncupetur *Spiritus Iehova*. Et ratio est; quia sic videri posset fieri confusio *Filii Dei*, tanquam secundæ personæ, & *Spiritus S.* utpote tertiæ personæ deitatis.

VINDICATIO Psal. 45. v. 7. & 8.

Sedes tua, Deus, in seculum seculi: Virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo justitiæ præ consortibus tuis.

Hinc nos sic colligimus: Qui *absolutè & simpliciter* & propriè dicitur Deus, & cujus thronus asseritur *simpliciter æternus*, ille est altissimus Deus, ùt constat.

At hìc Christus sic dicitur Deus, &c, teste & interprete authore epistolæ ad Heb. cap. 1. v. 8, 9. E.

Regerit Enjedinus p. 69. 1. *Dei appellatione neminem* Deum *æternum reddi: quia & magistratus dicuntur* Dii. R. Vox Dei, *absolutè & propriè* accepta, notat Deum æternum. Verus enim Deus est æternus. Nec magistratus uspiam in S. literis singulariter dicitur, *Deus*: sed *Dii*.

2. Opponit, *in S. literis, etiam hominibus promitti & tribui regnum æternum, ùt Salomoni 2. Sam. 7. v. 13. & 1. Reg. 9. v. 5. Et præterea addit, vocem Hebræam Olam sæpè notare tantùm diuturnitatem.*

R. 1. Falsum est, ulli homini promitti regnum *simpliciter æternum.*

2. Falsum itidem est 2. Sam. 7. v. 13. Salomoni promitti regnum *æternum*: quia ibi sermo est de *Christo.*

3. Et elenchus est à particulari, sic concludere: *Olam* alibi significat diuturnitatem tantùm, & non æternitatem. E. & hic. Quod autem hic significet *æternitatem*, liquet hinc, quia sermo est de *Christo*, cujus regnum est *incorruptibile*, Dan. 7. v. 14. & *finis expers*, teste angelo, Luc. 1. v. 33.

3. Opponit, *iste Deus dicitur unctus oleo. Quod Deo æterno non competit.* Resp. Intellige, respectu *Deitatis*, quæ est ungens. Interim *æterno Deo*, Christo id competit juxta *humanitatem*, quæ est uncta.

4. Opponit, *idem hìc Deus alium Deum se majorem habere, qui ipsum unxerit, ibidem dicitur: At Deo æterno nihil majus est.*

Resp. *Alius* Deus hic non dicitur: quippe, qui non est *alius nisi unus*, 1.

enim, 1. Cor. 8. v. 4. Etsi ergò Pater sit alius i. e. alia persona: non tamen est *alius Deus*, atq; Filius. 2. Deus Pater ungens Filium, est eo major, quoad *humanitatem*, Joh. 14. v. 28.

5. Regerit; *Ibidem affirmatur iste Deus habere fratres, socios, & consortes regni. At Deo æterno nullus est socius, neq; ullus imperii consors.* E.

℟. 1. Christus habet fratres, quoad humanam suam naturam, Heb. 2. v. 11. 12. 13. 14. 16. 17.

2. Christus solus sedet cum Patre in *throno ipsius* Apoc. 3. v. 21. Interim ipsius regni beneficiis fruentes dicimur *conregnaturi*, 2. Tim. 2. ℣. 12.

6. Reponit p. 70. *Trinitarios verba prophetæ ridiculè sic torquere: Unxit, id est, unget post aliquot centenos annos, te, h. e. partem tui, humanitatem nempe, quæ nondum est, sed erit aliquando. Deus tuus, h. e. non totius tui, sed partis tantùm tuæ, quæ nondum extat, sed olim extabit. Præ consortibus tuis, nondum quidem natis, sed post multa sæcula nascituris, qui non erunt consortes tui totius, sed partis tantùm tuæ, nempe humanitatis, &c.*

℟. Nulla hîc fingenda est ridicula analysis. Prophetæ enim per verba præsentis, vel præteriti temporis sæpe describunt *res futuras*, ad innuendam rerum prædictarum certitudinem. Nec pronomen, *te*, explicandum est per *partem* Christi. Ipsa enim *persona* juxta carnem notatur. Nec Deus Pater, est Pater solius partis Christi, sed *totius ipsius*, nempe ùt est *Deus*, per æternam generationem; ùt etiam est *homo*; quia per unionem hypostaticam ὁ λόγος Filius Dei, factus est caro. Et pii homines sunt consortes ipsius *Christi*, & non tantùm *partis* ipsius.

7. Tandem occinit, *hæc, sicut totum psalmum de Salomone, & ejus nuptiis esse scripta, & literaliter de eo esse cantata: sed mysticè & spiritualiter Christo applicari posse.*

℟. 1. Metæ hæ sunt falsitates. Nam psalmus, describit *spirituale conjugium Sponsi* Christi & *Sponsæ* Ecclesiæ. Nec ibi Salomon intelligitur. Quia 1. ipse non dicitur *simpliciter & propriè Deus*. 2. Nec regnum ipsius fuit *æternum*. 3. Nec virga regni ipsius fuit semper *virga rectitudinis*: Quandoque enim peccavit, & obliquè egit. 4. Nec semper dilexit *justitiam*. 5. Nec religiosè fuit *adoratus*. 6. Nec omnes populi ipsi confessi sunt *in æternum*. Quæ tamen omnia affirmativè prædicantur de eo Rege, qui Psalm. 45. describitur. Taceo, quòd

Regis hujus conjugium hîc *celebretur*. Salomonis autem conjugium cum infideli filiâ Pharaonis *taxatur* 1. Reg. 11. ℣. 1.2. Nec author epistolæ ad Heb. cap. 1. ℣. 8 9. *mystice*, sed *literaliter* istum Psalmum explicat de *Christo*: Nam verba sunt clara, Heb. 1. v. 8. Ad *Filium* autem dicit, scil. *propriè & verè*: sicut propriè & verè *ad Angelos* fertur dixisse vers. 7.

VINDICATIO Psalm. 68. v. 19.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.

Hinc sic colligimus: Qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dat ea dona hominibus, ille est verissimus & celsissimus Deus. Quia *sic ascendere in altum*, & captivam ducere captivitatem, h.e. nostros captivitatores capere & vincere, est opus *solius Dei*, & inter illa dona est etiam *missio Evangelistarum*, Ps. 68. ℣. 12. & Eph. 4. ℣ 11. Quæ soli competit Deo. Et major hæc tam firma est, ut David eum, qui sic ascendit, vocitet *Deum fortem*.

At Christus ascendens in altum, captivam duxit, &c. Eph. 4. ℣. 10. E.

Regerit Enjedinus 1. *Totum Psalmum non posse propterea de Christo exponi, quia ille unus versus de ipso loquatur: sicut ex seq. Psalmo non unus, sed aliquot loci citentur, & Christo applicentur in N. T. neq; tamen totus ad Christum pertineat, ut vel probet v. 6.*

℟. 1. Neque sic nudè colligimus. Unus versus Psalm. 68. loquitur de Christo. E. totus de ipso loquitur: sed urgemus ipsum contextum v. 19. ejusque tenorem, qui χέιρα inseparabilem habet ad versiculos antegressos. Sic enim habet v. 19. *Ascendisti* (scil. *tu Deus*, in antecedentibus descripte,) in altum, & captivam duxisti captivitatem 2. Et falsum est, quòd Psalm. seq. ℣. 6. non loquatur de Christo. Nam ille ait ad Deum Patrem: *Deus, tu scis insipientiam meam, & delicta mea i.e. mihi vere imputata*, Esa. 53. ℣. 6. & 2. Cor. 5. ℣. 21. Etsi ergò Christus, *ratione sui ipsius*, non fuerit peccator, 2. Cor. 5. ℣. 21. tamen *ratione nostri* quorum gerebat personam, fuit peccator, nostraque peccata portavit, ut nos ab illis redimeret.

2. Excipit, *dubium esse, an hunc locum Paulus citarit; quia aliter hîc jaceant verba hæc, quàm apud Paulum legantur. Et licet verba hæc sint eadem, tamen non esse dubium, quin alio sensu hîc David illa, & alio ibi Apostolus usurparit.*

℟. Falsa

℟. Falsa ista sunt. Nam Paulus probaturus, *unicuiq; nostrûm* esse datam *gratiam juxta mensuram donationis Christi*, Eph. 4. ℣. 9. expressè ait: *Quapropter dicit* (nempe Spiritus S. per Davidem, Ps. 68. ℣. 19.) *Quum ascendisset &c.* Quòd si jam Paulus ista verba in alium sensum citâsset, quam qui est Ps. 68. ℣. 19 propositus, nonne vitiosè eum citâsset? & suum propositum infirmiter demonstrâsset? Nec mutatio personæ *secundæ* verbi in *tertiam*, & positio verbi *dare* pro *accipere*, sensum mutant. Semper enim, manet sermo de eâdem Christi personâ, & in eum finem Christus dona *accepit*, ut ea hominibus *daret*.

3. Occinit p. 71. *hinc æternam Christi Deitatem non posse probari, quia ascensio in cœlum, creaturæ potius quàm creatori competat, nec soli Christo, sed & Enocho & Eliæ, & Angelis sanctis: qui in terrâ versati sunt, & duobus Prophetis occisis Apoc. 11. v. 12 adscribatur.*

℟. 1. Ascensio in cœlum, *propriâ virtute* facta, non est nudæ creaturæ, sed creatoris. Nulla enim creatura nuda potest *suâ dignitate* promereri æternam beatitudinem. At Christus *propria virtute*, ascendit in cœlum Joh 3. ℣. 13. 2. Quando Christus hîc dicitur ascendisse *in altum*, tum simul comprehenditur ejus *exaltatio ad dextram* Dei, teste Petro, Act. 2. ℣. 33. 34. Unde *longè super omnes cœlos ascendisse* fertur, Eph. 4. ℣. 10. At talis ascensio nec Enocho, nec Eliæ, nec prophetis, nec ipsis angelis, Heb. 1. ℣. 13. competit. Quare, quia sic Christus ascendit in altum, ut *sederit ad dextram Dei Patris*, hinc efficaciter evincitur esse *altissimus Deus*.

Vindicatio Ps. 72. ℣. 1. &c.

Deus, judicium tuum Regi da, &c.

Negat Enjedinus, *hunc Psalmum de Christo loqui: quia titulus habeat, Salomoni, vel de Salomone, vel pro Salomone: & hunc Psalmum nemo Evangelistarum & Apostolorum Christo applicârit.*

℟. Titulus ita habet: לִשְׁלֹמֹה ubi præfixum ל non est nomen *genitivi casus*, quasi author hujus Psalmi esset Salomon (cùm David eum composuerit) sed *dativi*. Nam David hunc Psalmum, suo filio Salomoni, gravissimè commendavit. Quando autem David ait v. 1. *justitiam tuam da filio regis*, tum Christum intelligit; quia is est ex *semine Davidis*, 2. Tim. 2. ℣. 8. Et ipsas res, quæ in hoc Psalmo continentur, Evan-

tur, Evangelistæ & Apostoli sedùli de Christo effati sunt : Quòd ut clarius evadat, jam aliquot probabo argumentis, quòd hic Psalmus non de Salomone, sed de *Christo literaliter* loquatur. Nam 1. huic Regi tribuitur cultus *religiosus*, & regnum *simpliciter* æternum v. 5. Quorum nec ille, nec hoc Salomoni competit. 2. Regnum ejus extenditur usq; ad *terminos orbis terrarum* v. 8. Quod de regno Salomonis nequit verificari : quicquid etiam oggannîat Enjedinus p. 74. 3. Omnes gentes dicuntur huic regi (*religiosè*) *servituræ*, v. 11. Quod itidem de Salomone dici nequit. 4. In hoc Rege omnes gentes dicuntur *benedicendæ*, v. 18. Quod de Christo exponit Paulus, Gal. 3. ℣. 16. Videatur Ambrosius Tom. 4. p. 394. &c. in Apologiâ Davidis, ubi multis contra Judæos probat argumentis, quod hic psalmus de *Christo* sit intelligendus, & quidem *literaliter & verè & propriè*. Quare omissis nugis Enjedini, quæ hinc facilè retunduntur, sic colligo :

Cui tribuitur *divinus & religiosus* cultus,
2. regnum *simpliciter æternum*, & usque ad *fines terræ*. 3. Et *benedictio* omnium gentium, ille est altissimus Deus, ut constat.
At Christo ea tribuuntur. E.

VINDICATIO LOCI ex Psalmo 81. ℣. 10.

Non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.

Dicit Enjedinus p. 75. *nos hinc sic argumentari : Si Christus Deus est, & non æternus. E. est recens. Atqui Deus prohibet, ne habeamus Deum recentem. Habere autem debemus Christum pro Deo. E. non est recens, sed æternus.*

Respondet, *in hebræo fonte non esse vocem, recens, sed alienus, extraneus. Et orationem non imperativam, sed conditionalem hîc esse : si non erit in te Deus alienus.* Sed tamen post p. 76. concedit, *vocem, recens, hîc æquipollere voci, alienus, & orationem esse imperativam.* Ait ergò, *Deos recentes esse duplices, 1. vel a seipsis vi factos, vel ab aliis in Deorum numerum relatos. 2. A Deo vero Israelis factos. Illos, non hos hîc prohiberi.* Propterea concludit, *quia Christus sit ex Deo, à Deo constitutus, Psalmum hunc nihil ad ipsum pertinere : siquidem Christus non sit à Deo alienus, sed ei conjunctissimus, & divinâ virtute & spiritu sis imbutus, ut non ipse, sed Deus in ipso loqui & operari dictus sit.*

Resp.

R. 1. Non memini, aliquem nostratium sic hinc concludere. Potius sic concludimus: Qui non est *Deus Israël*, is non debet *religiosè* coli: secus *Dii alieni* possent rectè religioso cultu affici. Quod tamen hic etiam Psalmus prohibet. At Christus debet *religiosè* coli, fatentibus Photinianis. E.

2. Falsum est, quod Oratio sit non *imperativa*, sed *conditionalis*. Simpliciter enim dicit: *Non erit in te Deus recens*, אל זר

3. Falsum est, Psalmum hunc non loqui de Diis, *à Deo* constitutis, ùt sunt magistratus. Omnis enim ille est Deus alienus, qui religiosè colitur, & tamen *naturâ* non est Deus. Quòd si ergo magistratus colerentur *divinè*, tum essent Dii alieni.

4. Alienus Deus adhuc Christus foret, si non esset *ejusdem* cum Patre *essentiæ*. Nam si ille propterea non esset Deus alienus, quia Deo esset *conjunctus*, *& in quo Deus ipse locutus fuisset*: tum Prophetæ & Apostoli non alieni Dii forent, tametsi *divinè* colerentur; quia illi, Deo fuerunt per fidem *conjuncti*, & *Deus in ipsis* est locutus.

5. Falsum est, quòd Christus ipse non sit operatus, sed tantùm Pater in ipso, ùt testatur ipse Christus, Joh. 5. v. 17. 19.

Vindicatio Psalmi 95. v. 8.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Dicit Enjedinus p. 77. *quosdam Trinitarios hinc probare Spiritus S. deitatem, hoc modo: Apostolus ait, hanc orationem: Hodie si vocem ejus audieritis &c. dixisse Spiritum S. At ante illam orationem v. 3. apud Psalmographum, fit mentio magni Dei, qui sit rex super omnes Deos. E. Spiritus S. est magnus Deus, & rex super omnes Deos.*

Deridet Enjedinus hanc collectionem: *quia Spiritus S. non se intelligat, cùm ait: Vocem ejus: sed alium. Et quando Apostolus inquit, hæc Psalmi verba dixisse Spiritum S. non aliter intelligendum esse, quam impulsu Spiritus S. ùt instrumenti Act. 4. v. 24. à Davide esse prolata.*

Resp. 1. Non eâ colligendi formulâ nos utimur, sed hâc

Per quem, *ùt authorem*, David locutus est, ille est altissimus Deus, sicut docet ipse David. 2. Sam. 23. ℣. 2.

At David locutus est per *Spiritum S. ùt authorem*, non ùt instrumentum, Heb. 3. ℣. 7. E.

2. Enjedinus sibi contrarius est, nam Spiritum S. & *instrumentum*, & *causam impulsivam* locutionis vocitat. Quæ simul stare non possunt. Certè Christus ait, Matth. 10. ℣. 20. *Vos non estis illi loquentes, sed Spiritus patris vestri, loquens in vobis.* Et Luc. 12. ℣. 12. *Spiritus S. docebit vos in eâdem horâ, quid oporteat vos dicere.* In quibus effatis Spiritus S. ùt doctor & illuminator, seu ùt author, docens & illuminans Apostolos, introducitur: proindeque *instrumentum Dei* ille dicendus non est.

Deinde addit Enjedinus p. 78. *alios Trinitarios ex verbis Psalmi divinitatem Christi venari hoc modo: Certum est in hâc oratione: Hodie si vocem ejus audiveritis: pronomen illud, ejus, referendum esse ad DEum magnum, & regem super omnes DEos, cujus antea facta est mentio. Sed Apostolus in Epistolâ ad Hebræos hoc pronomen refert ad Christum. E. Christus est magnus DEus, & rex super omnes Deos.*

Respondet, *huius argumentationis nec antecedens, nec consequentiam firmam esse. Nam* 1. *Per pronomen, ejus, intelligatur DEus Pater: quippe cujus illa vox sit.* 2. *Apostoli oratio sit elliptica (siquidem desit, olim) & pendeat usque ad vers. 12. ubi per Deum vivum intelligatur pater.*

Resp. 1. Ratio est apertè falsa in sensu Enjedini, *Christum* excludentis. Author enim Epistolæ ad Hebræos nominatim ibi agit de *Christo*, ℣. 1. &c. Et licet vox *Christi* sit etiam *Patris*: non tamen argumentum valet. Est illa vox etiam Patris. E. Pater, non Filius, ibi intelligitur. *Opera enim Trinitatis ad extra sunt indivisa.* Vox autem ista est opus divinum *ad extra*. E. Et 2. ratio etiam fallit: quia in præsenti tempore Apostolus loquitur, dicens: *Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus.* Si vocula *olim* deberet subintelligi, tum statim præsens in præteritum esset commutandum, hoc modo: *Sicut olim dixit, &c.* Et ℣. 12. per *Deum vivum* intelligi *Christum*, liquet ex ℣. 14. Quod adeò claret, ut ipse Enjedinus tandem inquiat: *Atq; ut ad consequentiam veniamus: Etiamsi concederemus pronomen, ejus, Apostolum ad Christum referre: non tamen sequeretur, eundem esse Deum magnum, de quo Psalmista loquitur. Nam*

usitatum

usitatum & confessum est, dicta V. T. non semper eo sensu applicari ad Christum, quo posita sunt in V. T. Deinde, quamvis & lex, & Evangelium sit vox Dei: tamen aliter in Psalmo lex, & aliter hîc Evangelium dicitur, vox Dei. Seu aliter Psalmographus, & aliter Apostolus Deum considerat. Ille enim ùt per se hic verò per interpretem, loquentem considerat. Ita ut ille locutionem propriam, hic verò figuratam representet. Nam, immediatè & propriè, Evangelium est vox Christi, mediatè verò vox Dei. Iam verò non sequitur, id quod Deo propriè & immediatè loquenti tribuitur; illud idem figuratè & mediatè loquenti pariter tribuendum esse. Nam in figuratâ locutione non nudus ipse, sed quasi cum alio complicatus intelligitur. Ergò si Psalmista, de Deo propriè loquens, eum vocat magnum, & regem Deorum: non necessariò sequitur, etiam hic apud Apostolum, ubi figuratè & mediatè loquens introducitur, iisdem titulis ornari. Hæc ille.

Ad quæ Resp. 1. Conlequentia seu illatio nostra est firmissima. Quando enim David ait: *Hodie si audieritis vocem ejus, tum intelligit altissimum Deum.* Jam verò author Epistolæ ad Heb. affirmat, illum eundem esse *Christum*. E. Nec hîc alio sensu ille Psalmus ad *Christum* applicatur, quàm qui *in illo* continetur: secus author non potuisset adhibere particulam *sicut*. 2. Falsum est, *Evangelium* esse vocem Dei *figuratam*, nec *immediatè* esse vocem ipsius Dei. Evangelium enim dicitur, λόγ@ θεῦ ἀληθῶς, 1. Thess. 2. ℣. 13.

Vindicatio Psalmi 97. ℣. 8.

Adorate eum omnes angeli ejus.

Hinc nos sic colligimus: Qui est *religiosè* ab angelis etiam adorandus, ille est altissimus Jehova. Deut 6. ℣. 13. Christus est *religiosè* ab angelis etiam adorandus, Heb. 1. ℣. 7. E. Libenter equidem Enjedinus negaret, istum Psalmi locum esse, Heb. 1. ℣. 7. citatum, sed non ita apertè id audet. Garrit tamen, *verba esse diversa, & Apostolum non respexisse literalem Psalmistæ sensum.* Cui breviter respondeo, Auctorem citâsse versionem *græcam* 70. interpretum, nec ullam in sensu isto esse *differentiam*, quem etiam, *juxta literam* author citat. Nam inquit: *Rursum autem, quum inducit primogenitum in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hic audimus, quod author *Deum dicentem* alleget.

Postremò

Postremò obstrepit Enjedinus p. 80. *Nec ex eo, quod Christum angeli adorant, & adorare debent, sequitur, illum esse Deum æternum. Nam sermus Christum super omnes, & omnia evectum & adorationem sæpe reverentiam & cultum externum significare.*

Resp. 1. Christus adoratur: quia *Deus* est. Si enim præcisè & adæquatè propter istam sui *evectionem* esset adorandus, tum Deus Pater & Spiritus S. non esset adorandi: quippe quibus ista *evectio*, seu ita evectum esse, non competit. Christus autem *ut homo est*, adoratur per & propter hypostaticam unionem. 2. Est elenchus à particulari, sic colligere: Adoratio sæpe significat reverentiam & cultum *externum* E. & hîc. Nam hîc eam reverentiam cultumque externum politicum non notat: quia de angelis sanctis sermo est, in quos non cadit, *externè & politicè* Deum adorare; Sunt enim Spiritus.

Vindicatio Psalmi 102. ℣. 26.

Initio tu, Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, &c.

Hinc sic colligimus: Creator cœli & terræ est altissimus Deus. *Christus* est creator cœli & terræ, Heb. 1. ℣. 10. E.

Promittit Enjedinus, *se in Epist. ad Heb. cap. 1. responsurum.* Ubi ipsius exceptiones, Deo volente, discutiemus.

FINIS *Disp. II.*

BONO Cum DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII *ANTI-ENJEDINI,*

DISPUTATIO III.

Resp. M. JUSTO KÜNNEKENIO, Hildes. Saxone.

VINDICATIO LOCI ex Psalmo 110. ℣. 1. &c.

Dixit Dominus Domino meo, &c.

OPEROSUS valde est Eujedinus in torquendo hoc Psalmo. 1. Conatur probare, *illum literaliter de Davide loqui, mystice verò & spiritualiter de Christo. Nam* 1. *inquit, ea explicatio non heri, sed ante Iesum Christum nata est.* 2. *Literali interpretatio cum mystica non pugnat.* 3. *Ipse Christus Matth.* 22. *dicit, Davidem in Spiritu, hoc est, spirituaaliter Messiam appellasse Dominum suum.* 4. *Nihil in isto Psalmo dicitur, quod Davidi commodè applicari non possit.* 5. *Multa hic sunt, quæ literaliter ad Iesum pertinere non possunt, ùt quòd pugnaverit cum regibus, eos vulneraverit, repleverit vias cadaveribus, dominatus sit gentibus, præcipuam urbem Ammonitarum expugnaverit, &c.*

℟. Rationes hæ sunt evanidæ. 1. quidem. Non enim sequitur: Ista Judæorum opinio fuit ante Christum ex Mariâ virgine natum. E. est recta & vera. Nonné enim peccatum cœpit in paradiso? nec tamen ob suam istam antiquitatem desinit esse ἀνομία.

2. *Literalis* explicatio cum *mystica* pugnat: siquidem ipse Christus, Matth. 22. & Paulus, 1. Cor. 15. ℣. 22. & author epistolæ ad Hebr. c. 1. ℣. 13. & 5. v. 6. & 7. v. 17. 21. Literam hujus Psalmi de solo Christo, & non de Davide explicant. 3. Matth. 22. v. 43. *In Spiritu*, non idem est atque non literaliter, sed *mystice & spiritualiter*: quia est descriptio causæ principalis, cujus instinctu & afflatu David de Messiâ est locutus. 4. Ratio etiam falsa est. Nam ipse Christus, Matth. 22. v. 41. 42. ex congregatis Phariſæis, sic quærit: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Dicunt ei, *Davidis* (nempe tantùm.) *Ait illis, quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens*: Dixit Dominus Domino meo, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Ecce! Christus testatur Davidem ibi de se non esse locutum, sed *tantùm* de Messiâ, quem vocitet *Dominum suum*: Et proinde non sit ejus (solius) *Filius*. Ergò esse Dominum Davidis, sedentem à dextris Domini (Dei Patris) nullo modo competit ipsi Davidi, sed tantùm Christo. 5. Ratio etiam dextrè est explicanda. Sic enim habent v. 5. & 6. Psalmi 110. *Dominus ad dextram tuam confregit in die iræ suæ reges. Iudicium exercebit inter gentes, implebit* (loca) *cadaveribus, transfixit caput super terram multam*, h. e. Christus suos hostes & temporali & æterno extingvet interitu. Hic ergo non describitur ullum Christi mundanum: sed partim de spiritualibus, partim de corporalibus ipsius hostibus reportata victoria, quorum multi etiam temporaliter misertrimè sunt ab aliis trucidati. Ubi justum videre est Dei *judicium & vindictam*.

Deinde annititur Enjedinus nostra argumenta, de Davide hic non esse sermonem probantia, proq; divinitate Christi militantia enervare p. 83.

1. Sic colligimus: Hìc agitur de Messiâ, teste Jesu. E. non de Davide. Respondet, *hæc non pugnare. Nam potest agi*, inquit, *mystice de Messiâ, historicè de Davide.*

R. Falsum hoc est. Nam res substrata id non patitur, quæ in N. T. *tantùm* de Messiâ, & nequaquam *simul* de Davide exponitur, ùt suprà probatum est.

Deinde, inquit Enjedinus, *quòd possint hæc historicè de Davide dici, inde patet, quod posterior pars versiculi hujus, nempe donec ponam inimicos tuos scabellum*

scabellum pedum tuorum expressè Davidi attribuitur, 3. Reg. 5. v. 3. ubi Salomon de Patre suo Davide ait: donec daret Dominus eos (hostes) sub vestigio pedum ejus. E. probabile esse, priorem partem quoq; versus de Davide intelligendam esse. Quod enim quis ex Petri Verbis objicere posset, Davidem non ascendisse in cælum, ac proinde non sedisse ad dextram Dei: Respondero se, ait, Petrum urgere Grammaticum verborum sensum, non phraseos vim & usitatam loquendi consuetudinẽ. Nam rectè dici, etiam homines ad dextram Dei sedere, paulò post se ostensurum.

℟. 1. Non sequitur, 1. Reg. 5. v. 3. Salomon de Patre suo Davide ait: *donec daret Dominus eos (hostes) sub vestigio pedum ejus.* E. & Psalm. 110. loquitur de Davide. Nam in hoc Psalmo etiam continentur hostes *Spirituales*, diabolus mors, interprete Paulo, 1 Cor. 15. v. 25. 26. cum quibus confer Heb 2. v. 14. At 1. Reg. 5. v. 3. sermo est tantùm de hostibus *corporalibus*. Deinde David istos hostes vicit non suâ, sed Dei *virtute*. At Christus dicitur *ipse* positurus *omnes inimicos sub pedes suos*, 1. Cor. 15. v. 25.

2. Falsum est, quòd Petrus non *phraseos vim*, sed *Grammaticum* verborum sensum urgeat, Act. 2. v. 34. 35. Nam utrumque ipse urget, & testatur, *non Davidi*, sed *soli Christo* competere istam sententiam, Ps. 110. v. 1. *Sede à dextris meis.*

3. Porrò ait Enjedinus, *nos pro divinitate Christi sic 1. argumentari: Hîc bis ponitur nomen Domini, dixit, inquit Dominus, h. e. Deus Pater, Domino meo, i. e. Messiæ. Quæ interpretatio testimonio Iesu confirmetur. Cùm igitur idem titulus tribuatur Deo Patri & Messiæ uterq; enī vocatur Dominus, patet, illos esse æquales. Ad quod se respondere, ait: Hîc consulendum esse fontem, h. e. Hebraicam veritatem, ubi non eandem repeti, sed diversas poni voces clarissimum sit. Nam primo loco haberi Iehovam, quæ Patri Deo tribuatur, posteriori loco Adon, quæ vox quibusvis passim, & hominibus attribui soleat. Falsum esse igitur, eundẽ titulum & nomen tam Deo, quàm Messiæ hîc tribui. Causam autem cur in Græco & Latino textu eadem vox legatur, esse, quòd Iehovæ nomen, sicut nec nunc, ita nec olim legerint Hebræi sed pro eo Adonai, quod significat Dominum. E. ubicunq; in Hebræo legatur Iehova, Græcos & Latinos interpretes ibi habere Dominum. in quo non textus Hebraici proprietatem, sed vulgi consuetam & receptam consuetudinem sint secuti.*

℟. Argumentum hoc nostrum non infringi potest: siquidem Christus hîc in eo sensu dicitur אֲדֹנִי, ut David eum *credat suum Mes-*

siam & redemtorem, & non tantùm suum filium, teste ipso Christo Matth. 22. Quare hic vox יְהוָה & אֲדֹנָי æquipollent: sicut & ipse Iehovah dicitur אֲדֹנָי Psalm. 2. v. 4. & Gen. 15. v. 2. & Christus appellatur יְהוָה Hos. 1. v. 7. & passim.

2. Ait, nos sic argumentari: *David Messiam vocat Dominum suum. E. agnovit Messiam majorem esse homine, & proinde credidit esse Deum. Nam Pater Filium non solet vocare Dominum.*

Respondet Enjedinus *ad cap. 22. Matthæi hoc argumentum se dissoluturum.* Ubi videbimus ipsius regestiones.

3. Inquit, nos sic concludere: *Sedere ad dextram Dei idem esse, quod æquali cum Deo potentiâ regnare. Quod quia Davidi non competat, Christo tribuendum esse. Vnde simul appareat, Christum esse eundem cum Deo Patre Deum.*

Respondet: Sedere ad dextram Dei, & Deum habere à dextris, in scripturâ pro eodem poni. Nam, inquit, *de quo hîc v. 1. dicitur, quòd sedeat ad dextram Dei, paulò pòst v. 5. de eodem dicitur, quòd habeat Deum à dextris. Atqui David dicit, se Deum habere à dextra Ps. 16. v. 8. E. rectè etiam de eo dici potest, quòd sederit ad dextram Dei. Deinde ex testimoniis Scripturæ, ut Ps. 45. v. 11. 3. Reg. 2. Matth. 20. 3. Reg. 22. v. 19. & Luc. 22. v. 29. & Apoc. 3. v. 21. annititur evincere, quòd sedere ad dextram Dei non significet æqualitatem cum aliquo potentiæ & dignitatis, multò minus essentiæ habere.*

℟. 1. Falsum est, quòd ista jam recensita in scripturis pro eodem ponantur. *Sedere* enim *ad dextram* Dei *Patris*, tam sublime quippiam est, ut etiam sanctis angelis detrahatur, Heb. 1. v. 13. At *Deum habere à dextris suis*, i. e. habere eum propitium auxiliatorem, omnibus piis competit. Quare etsi David dicatur *habere* Deum *à dextris suis*: nusquam tamen in verbo Dei dicitur *sedere ad dextram* Dei *Patris, ad dextram virtutis, gloriæ & majestatis.*

℟. 2. Nec citata dicta evincunt, quòd *sedere ad dextram virtutis & majestatis Dei Patris*, non sit *unâ* cum Deo Patre *virtute & æquali honore* (vigore unionis hypostaticæ, & exaltationis antegressæ) ubiq; præsenter regnare. Nam 1. Ps. 45. v. 11. loquitur *de filiâ Pharaonis* (ut quidem putat Enjedinus,) adstante ad dextram Salomonis. At hîc sermo est de *dexterâ* Dei. Quòd si autem libet, verum ejus Psalmi sensum proferre, tum dicendum est, ibi sermonem esse de *Ecclesiâ*, quæ est *spiritualis*

filia

filius ipsius Christi. Hæc verò Ecclesia non dicitur *sedere ad dextram Dei Patris omnipotentis*: sed dicitur collocata ad *dextram Christi in auro ophir*, hoc est, dicitur esse ornata & decorata *spiritualiter*. Quare hæc alia est Phrasis. 2. lib. 3. Reg. c. 2. v. 19. Salomon legitur *matrem jussisse assidere ad dextram suam*. Sermo ergò est de *dextrâ corporeâ hominis*. At hic loquimur de *dextrâ Dei Patris*, qui non est *homo*, sed *Spiritus*. 3. Matth. 20. v. 20. 21. *mater filiorum Zebedæi* dicitur *à Christo* (quem putabat fore regem terrenum) *petiisse, ut Filii sui sederent, unus ad dextram, alter ad sinistram in regno ipsius*, h. e. ut eveherentur ad summas politicas dignitates. Quare & hic locus hic est alienus. 4. Locus lib. 3. Reg. 22. v. 19. describit *ministerium & vigilantiam* sanctorum angelorum: & non eadem phrasis est. Nam Christus dicitur *sedere ad dextram & esse in dextrâ Dei Patris omnipotentis, seu sedere à dextris virtutis & majestatis Dei Patris*. At hîc exercitus cœlorum dicitur adstare Deo *à dextrâ, & sinistrâ ejus*. Ubi, quæso, legitur in verbo Dei Christus sedere ad *sinistram* Patris? Nuspiam. 5. Nec Luc. 22. v. 29. Apostoli perhibentur *sedere ad dextram Dei Patris*, sed sedere *super thronos, judicantes* 12. tribus Israël: nempe suâ doctrinâ & testimonio & suffragio. 6. Nec Apoc. 3. v. 21. fideles dicuntur *sedere in throno gloriæ Patris*, sed in *throno Christi*, nempe gloriæ & beatitudinis cœlestis.

Quæ porrò Enjedinus objicit, vide soluta ùt & alia à Jacobo Martini lib. 1. de tribus Elohim cap. 30. 31. 32. 33.

(NB. Ephod fuit vel *Idololatricum*, ùt Gedeonis, Judic. 8. v. 18. vel *non Idololatricum*: & quidem aut *aureum*, quod fuit solius Sacerdotis summi Exod. 28. vel *lineum*, quod etiam alii, qui non fuerunt in numero Sacerdotum, portârunt, ùt Samuel puer, 1. Sam. 2. v. 18. & David 2. Sam. 6. 14.)

Vindicatio Prov. 8. ℣. 22.

Dominus possedit me, in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à Principio, &c.

Hinc nos sic argumentamur: Hæc sapientia est ab æterno genita. Hæc sapientia est Christus, 1. Cor. 1. ℣. 24. E.

Respondet Enjedinus variè:

1. *Non esse indubitatum, verba præscripta à Sapientiâ dici: quia sint prolata ab intelligentiâ vel prudentiâ, quæ in hoc capite tum conjunctè, tum separatim*

cum Sapientiâ ponatur, ut appareat ex v. 1. & 14. Cùm ergò Paulus Christum non intelligentiam, sed Sapientiam vocet, & verba præscripta ab intelligentiâ proferantur, sequi asserit, hunc locum ad Christum non pertinere.

R. Est Elenchus oppositorum: quia Christus & *Sapientia* & *Intelligentia* Dei Patris est. *Sapientiam* loqui per totum caput, constat ex ℣. 1. &c.

2. *Negat firmiter probari, quòd Sapientia hæc sit persona, eò quòd loquatur & clamet; cùm usitatissimum sit in sacris, accidentibus per prosopopœiam adscribi actiones. Sic misericordia & pax de cœlo prospicere, & se mutuò osculari dicuntur, Ps. 85. v. 11. 12. Et hîc Proverb. 8. prudentia seu intelligentia dicatur vociferari, stare in semitis, & clamare ad portas urbium; Cùm tamen misericordia, pax & prudentia sint accidentia.*

R. Quòd Prov. 8. *Sapientia* illa non sit accidens, sed Persona per se subsistens & intelligens, constat hinc, quia 1. *Actiones personales & intelligentes* per totum caput ipsi propriè tribuuntur. Nec obest, quòd alibi & accidentibus tribuantur per prosopopœiam actiones. Nam est elenchus à particulari sic concludere. Id alibi quandoq; fit. E. & hîc. Quod enim id hîc non fiat, constat hinc. 2. Quia hæc *sapientia* dicitur *acquisita* (per *generationem*) *ante opera* DOMINI v. 22. Extitit ergò ab æterno. Solus verò altissimus Deus fuit ab æterno. 3. Et dicitur *genita ante montes*, v. 24. 25. Quod accidenti non competit. 4. Dicitur *inuncta* i. e. ordinata & destinata (ad officium mediatorium) *ante principium orbis, & ante terram* v. 23. Quòd de nullo accidente, sed de Christo dicitur, Ps. 2 ℣. 6. & 1. Pet. 1. ℣. 20. 5. Hæc sapientia inquit v. 30. *Peccans in me, injurius est animæ suæ, omnes odio habentes me, diligunt mortem.* Ubi ista *Sapientia* asserit, in se ita peccari, ut fit in *authorem* divinæ legis. Atqui ita soli Deo peccatur, Ps. 51 ℣ 6.

3. Inquit, *Nimis absurdum est, quòd hîc nil figuratè, sed omnia propriè dici contendunt. Nam etiamsi daremus, hîc Sapientiam esse Personam quandam, quam ipsi λόγον appellant: Tamen certum esset, illum tempore Solomonis in plateis non clamasse, nec cum hominibus hilariter conversatum esse, nec domum ædificâsse, excidisse septem columnas, immolâsse victimas, miscuisse vinum, & cætera, quæ hîc enumerantur propriè fecisse. Alias deberent fateri, Christum ab æterno fuisse incarnatum. Quandoquidem hæ actiones propriè non possint, nisi homini jam nato competere. Itaq; & impudentis & indocti esse negare hanc Orationem Salomonis esse figuratam.*

R. 1.

℟. 1. Quando Prov. 8. ℣. 1. Sapientia dicitur *clamasse* sensus proprius est, quòd non immediatè, sed mediantibus prophetis clamaverit. Et quando v. 31. ait, *delectari se, esse cum filiis hominum*, innuit suam φιλανθρωπίαν sine ullo tropo. Etsi autem cap. 9. & seqq. adhibiti monstrarentur tropi, nunquid hoc foret argumentum evidens, quòd quando hæc sapientia dicitur *acquisita & genita ante creationem mundi*, etiam tropicè dictum sit? ὁ λόγος, Filius Dei Patris, tempore Salomonis nondum fuit incarnatus: & tamen eo tempore *clamâsse* dicitur, nempe *in Prophetis*. Quemadmodum igitur Deus Pater & Spiritus S. dicuntur locuti per prophetas, etsi non sint incarnati: ita quoq; Filius Dei, æterna ista Sapientia tempore Salomonis clamâsse fertur, etsi tum nondum carnem assumserat.

4. Negat, *loqui Salomonem de eadem sapientiâ, de quâ loquantur Paulus* 1. Cor. 1. *Nam* 1. *Paulus vocet Sapientiam Dei, Iesum crucifixum. Non quòd per eum, aut ope ejus mundum condiderit, sed quòd per eum mundo suam sapientiam declarârit. &c.* 2. *Paulus loquatur de Iesu crucifixo. At Salomonis ætate Iesus nec extiterit, nec crucifixus fuerit.* 3. *Salomon simpliciter nominet Sapientiam: Illic Paulus cum additione, Sapientiam Dei.*

℟. Falsum est omninò, Salomonem & Paulum, 1. Cor. 1. ℣. 24. de eâdem Sapientiâ non loqui. Nec aliud contrariæ rationes evincunt 1. Fallit. Christus enim dicitur *Sapientia* non tantùm ratione *officii sui* & respectu divinæ sapientiæ, per se hominibus annunciatæ & explicatæ, Joh. 1. ℣. 18. (nam & Prophetæ & Apostoli *Sapientiam Dei* dicuntur mundo declarasse: nec tamen in verbo Dei dicuntur *Sapientia Dei*,) sed primò ratione suæ *Personæ*, quæ est ipse λόγος (ratio & verbum) Patris. 2. Etsi Jesus, ùt crucifixus in carne, tempore Salomonis nondum extiterit: tamen tum extitit, ùt ἄσαρκος, imò talis extitit, priusquam terra fuit creata, teste ipsâ Sapientiâ, ℣. 26. 3. Etsi Sapientia Dei (Patris) expressè non vocatur, tamen reipsa ibi sic asseritur. Nam ℣. 22. ait ista Sapientia: *Iehova possedit seu acquisivit me.* E. est Sapientia Jehovæ, nempe Patris. Quin & in N. T. Christus jam simpliciter dicitur *Sapientia*, ùt Matth. 11. ℣. 19. & Luc. 7. ℣. 35. jam *Sapientia Dei*, Luc. 11. v. 49. Quod enim ibi Christus intelligatur, constat ex collatione, Matth. 23. ℣. 34.

5. Ait:

5. Ait: *Etsi autem sunt, qui hîc quoq; Salomonem de sapientia Dei, qua universum mundum condidit & gubernat, loqui asserant: non tamen desunt, qui indefinitè & in genere de sapientia sermonem haberi censeant. Sunt etiam, qui Salomonem de sua, quam à Deo postularat & acceperat, sapientia loqui affirment. Quorum sententia confirmetur ex c. 9. v. 9. Deniq; quosdam per hanc sapientiam legem Dei intelligere. Quorum sententia confirmari possit ex Baruchi c. 3. fine, & initio capitis quarti. Item ex Sir. 24. v. 32.*

℟. Hæ sententiæ omnes simul stare nequeunt. Vera autem ista est, quæ intelligit per *Sapientiam Dei*, Filium Dei. Nec enim hîc potest intelligi, 1. Sapientia Salomonis *habitualis*: quia hîc sermo est de Sapientiâ *ab æterno genita*. Et Sap. 9. ℣. 9. author (qui non est Salomon) eam *Sapientiam Dei* petit, quæ Deo (Patri) adfuit, quum faceret mundum. E. rursus sermo est de *Sapientia*, quæ est Filius Dei. 2. Nec sermo est de lege; quia hîc Sapientia *ab æterno generata* adstruitur, Lex autem ab æterno non est *ex substantia Dei genita*, sed in tempore partim cordibus hominum indita, partim deinde in monte Sinai repetita & promulgata.

6. inquit, *Hæc Sapientia, de qua hîc agit Salomon, loquitur, docet, instruit homines. At Iesus Christus postremis tamen diebus, teste Apostolo Heb. 1. locutus est hominibus. E. non ætate Salomonis.*

Item: Prophetia illa Esa. 42. v. 2. Ecce servus meus, quem elegi, non clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem ejus, applicatur Christo, Matth. 12. v. 18. At hæc Sapientia dicitur clamasse in plateis. Itaq; falsum est, hanc Sapientiam Salomonis fuisse Iesum Christum.

℟. 1. Falsum est, quòd Jesus Christus tantùm extremis diebus sit locutus. Particula enim *tantùm* non habetur ad Heb. 1. Et nonne Spiritus Christi locutus est in Prophetis, 1. Pet. 3. ℣. 19?

2. Prophetia Esa. 42. ℣. 2. describit officium Christi, ùt Messias est. Et tum non est *novus legislator*, nec terret contritos peccatores nec clamat *legaliter*, sed Evangelium ipsis blandè annunciat. Sic ergò non clamaturus fertur, Esa. 42. At Prov. 8. dicitur *clamare*, nempe per *prophetas*. Quare est Elenchus ambigui.

7. Addit: *Postremò de Sapientia ista, non dicitur, quòd sit ab æterno genita, sed tantùm, ùt in Hebræo habetur, à seculo formata. Quod longè aliud significat, quàm ab æterno gigni. Et potest aliquid à seculo h. e. à mundi creatione, vel etiam ante illam extitisse, inde tamen non sequitur esse æternum.*

℟. 1.

R. 1. Falsum est, quòd de Sapientiâ istâ non asseratur, quòd sit *ab æterno genita*. Nam ita ista Sapientia inquit, v. 22. *Iehova possedit me in principio viæ suæ, antè opera sua, ante nullum tempus*. Hæc *possessio* facta est, per *genituram*. Nam illa secundò v. 24. & 25. ait: *Quum nulla essent abyssi, genita eram, quum nulli essent fontes graves aquis. Quum nondum factum esset, ut montes demersi incumberent terræ, ante colles* חוללתי *edita seu genita eram*. At verbum חול propriè notat, *genitus* est, ut constat ex Psal. 51. v. 7. & Job. 15. v. 7. Idq; prima radix etiam innuit, quæ est חול *doluit*. Parientes enim solent dolores intensos experiri. Quæ tamen infirmitates & imperfectiones à *generatione Filii Dei* procul removendæ sunt.

R. 2. Falsum est, potuisse aliquid *ante creationem* mundi extitisse, & tamen non esse *æternum*. Nam ante creaturas fuisse, est descriptio *æternitatis*, teste Psalmo 90. v. 1. 2.

8. Tandem *authoritate libri Sapientiæ, & Syracidæ, & aliorum authorum*, conatur probare, hîc *sermonem non esse de Sapientiâ, quæ sit Filius Dei*. Sed resp. breviter, libros Sapientiæ & Syracidæ non esse *canonicos*: multò minùs libros aliorum hominum. E. *humana* authoritas *divinæ* veritati non debet nec potest præjudicare.

Vindicatio Prov. 30. v. 4.

Quis ascendit in cœlum atq; descendit? quis continuit Spiritum in manibus suis? Quis colligavit, aquas, quasi in vestimento? Quis constituit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti?

Nos hinc sic argumentamur: Patris & Filii hinc adstruitur omnipræsentia, & omnipotentia. E. sunt ὁμοούσιοι. Et sunt unus ille omnipræsens & omnipotens Deus.

Probatur antecedens: quia Agur (per quem indicatur Salomon) dicit: *Quod nomen ejus* (Patris) *& quod nomen Filii ejus?* Et de iis *omnipræsentiam*, per ascensum in cœlum, & descensum de eo intellectam, & *omnipotentiam*, per opera omnipotentiæ indicatam affirmat; quòd nempe Patris & Filii sit omnipræsentia, & omnipotentia.

Consequentia probatur: quia nemo est omnipræsens & omnipotens, nisi *Solus Deus*.

Regerit 1. Enjedinus p. 95. *Hoc caput esse appendicem quandam libri proverbiorum, & Agurem non esse Salomonem, sed alium doctum virum.*

R. 1. Ex hypothesi, si vel maximè verum esset, Agurem non esse Salomonem: tamen authoritas hujus capitis non vacillaret: si quidem in sanctâ linguâ conscriptum extat, & Christus Joh. 3. v. 13. rem ipsam, v. 4. hîc propositam, ad se applicat. 2. Simpliciter resp. Agurem esse ipsum Salomonem. Agur enim notat *comportatorem & collectorem*, à radice אָגַר i. e. *congessit & collegit*. Dicitur autem Filius יָקֶה à radice קָוָא, *exspuit*, ùt vult Benedictus Arias Montanus. Sic Prov. 31. Salomon dicitur לְאֵל (*ad Deum*) & nominatur *Ecclesiastes* in libro Ecclesiastæ. Quare per Agurem nos hîc ipsum *Salomonem* intelligimus.

2. Ait, *quòd socii seu discipuli Agurì fuerint Ithiel & Uchal.* At nos per eas voculas intelligimus Filium Dei, *quippe qui est* אִתִּיאֵל יֵשׁ אִתִּי i. e. mecum Deus, *sicut Esa.* 7. v. 14. dicitur Immanuel i. e. *nobiscum Deus*: estq; אֵל i. e. potens, à radice יָכַל *potuit*.

3. Negat, *hîc de Deo esse sermonem: quia* 1. *ponatur interrogatio, quæ sit nota ignorantiæ & hæsitationis.* 2. *Nomen Dei Patris & Filii satis notum & vulgare fuerit.*

R. Falsum est, non de Deo, sed de hominibus hîc esse sermonem. Nec allatæ rationes huic veritati adversantur. Non 1. Quia & interrogationes de *Deo* usurpantur, Gen. 32. v. 27. & Judic. 13. v. 18. & passim. Quamquàm & alii dicant, hîc non esse interrogationem, sed *assertionem*. Nec 2. Nam nomen *Patris & Filii* etsi credentibus tantum notum fuerit, quantum ipsos scire fuit sufficiens ad salutem, nihilominus tamen manet in se *mysterium*, nec ab hominibus in hâc vitâ plenè intelligi potest. Unde nomen Filii Dei dicitur *mirabile & incomprehensibile*: sicut ipse Deus cogitatu est *incomprehensibilis*.

4. *Falsum esse* pronunciat *illa verba, quod est nomen ejus, aut nomen Filii ejus, Dei Patris & Christi incomprehensibilitatem significare: quia nomen non potentiam, aut virtutem aliquam infinitam, sed appellationem denotet, &c.*

R. 1. Infinitus Filius Dei etiam ex priori v. 4. parte adstruitur. 2. Nec hîc intelligitur nomen, re notatâ *vacuum*, sed cum *reipsâ* conjunctum.

junctum. Quare connotat *virtutem Dei infinitam*. Nomen enim Dei non est nomen vacuum, sed *ipsum Deum* comprehendit.

Huic testimonio subjungit Enjedinus *dictum Sap. 1. v. 7. & Ecclesiastici 24. v. 5.* Quia autem isti libri sunt apocryphi, & indubiam probandi fidei articulos vim non habent, ideò ab eorum detorsionibus Enjedinianis vindicandis, quæ tamen & ipsæ magnâ ex parte per se patent, hâc vice abstinebimus, progressuri sine cunctatione ad vindicationem Locorum N. T.

Vindicatio Matth. 1. v. 23.

Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.

Hinc nos sic colligimus. Christus dicitur propriè & propterea *Immanuel i.e. nobiscum Deus*, quòd nostri misertus, suo merito nos sit à peccatis nostris salvos facturus, v. 21. E. est altissimus Deus. Qui enim propriè dicitur *Deus nobiscum* i.e. noster, nobisq; favens, nosq; protegens & ab omnibus peccatis nostris nos redimens & salvans, eum oportet *propriâ infinitâ virtute* esse instructum. *Finita* enim virtus nos à peccatis eripere nequit. Enjedinus regerit. 1. *In hujus, & similium argumentationum consequente plus inferri, quàm antecedens permittat. Nam* inquit *ex voce Emmanuel colligi tantùm potest, eum cui illa tribuitur, esse Deum. Notum autem esse, plurimas res in S. literis Dei nomine insigniri, quæ nec æterna nec creatrices sunt cæli & terræ. Omnes magistratus, in dignitate collocatos homines & Sp. S. afflatos vocari Deos, Psalm. 82. Ioh. 10. v. 35. num propterea illi sunt Creatores cæli & terræ? Mosen etiam inter Israëlitas versantem rectè vocari potuisse Emmanuel, ùt & vocata sit arca fœderis, 1. Reg. 14. v. 3.*

R. 1. Nos non tantùm vocem *Immanuel*, sed etiam ipsam *rem* spectamus, seu ejus, qui dicitur Immanuel, *officium*, quod cùm divinum sit, arguit certò verum & altissimum Deum. 2. Confunditur vox Dei *propriè*, & *impropriè* accepta. Illa *soli æterno Deo* competit: Hæc etiam *ventri* crucis Christi inimicorum & flagitiosorum hominum tribuitur, Phil. 3. v. 19. 3. Nusquam in universâ S. Scripturâ V. T. magistratus in *singulari* numero dicitur sive אל sive אלוה: nec in N. T. libris dicitur θεὸς, sed pluraliter אלהים & θεοὶ. At Christus

dicitur Immanuel i. e. *nobiscum fortis Deus.* Proinde est & dicitur אֵל 4. Quid dicitur *Mosen* potuisse Insigniri voce Immanuel, id nos solvimus, per Tò non posse. 5. Exemplum de arcâ est alienum. Nec enim ipsa dicitur sive אֱלוֹהַּ, sive אֵל, sed אֱלוֹהִים, & quidem non *à populo Dei*, sed ab *impiis & infidelibus* philistæis, & quidem non ῥητῶς, sed διανοητικῶς. Etsi igitur ipsa fuerit cum Israelitis: non tamen dicitur *Immanuel*: quia is, qui dicitur *Immanuel*, propriè est *fortis Deus*, & nobis est præsens, non nudâ & vacuâ, sed divinâ & adjutrice præsentiâ. At arca non juvit ex se Israëlitas: sed tantùm fuit signum præsentis Dei altissimi. Et quàm severè Israëlitæ fuerint ideo puniti, quòd præter & contra mandatum Domini, in castra attulerint arcam, eiq́ confisi sint, constat ex lib. 1. Sam. c. 4. v. 10. & seqq.

2. Regerit Enjedinus p. 102. *Nomina sæpè, non rei ipsius naturam exprimere, sed signa tantùm aut monumenta esse rerum per illa significatarum, v. g. montem illum, Gen. 22. v. 30. Ineptum igitur esse ita argumentari: Istehoc nomine vocatur, E. illud ipsum est, quod vox significat. Ac multis nominibus Christum vocari, quæ illi propriè non competant. Dici enim agnum, leonem, lapidem, ostium, viam, &c. Neq; tamen quisquam propriè Christum ita esse credit.*

℟. Est Elenchus 1. Parium: quia nomen loci, ubi Abraham suum filium voluit Deo offerre, dicitur Gen. 22. v. 14. יְהוָֹה יִרְאֶה *Iehovah videbit*, quia ibi Deus providus procuravit arietem, quem Abraham obtulit, & ex rebus perplexis ipsum clementer liberavit. Et nomen loci, ubi angelus Jehovæ cum Jacobo luctatus est, dicitur פְּנִיאֵל i. e. *facies Domini*: quia Jacobus dicit, se ibi *Deum à facie ad faciem vidisse.* At licet ista composita nomina istis locis sint indita: *simplicia* tamen nomina, יְהוָֹה & אֵל nuspiam eis tributa leguntur. Christus verò sic dicitur עִמָּנוּאֵל *in compositione*, ut etiam *extra compositionem* dicatur אֵל Esa. 9. v. 4. ubi emphaticè dicitur אֵל גִּבּוֹר 2. Quin etiam est elenchus à *particulari*, sic concludere: Nomina sæpe non rei ipsius naturam exprimunt, sed significant tantùm, & monumenta sunt rerum, per illa significatarum. E. & vox *Immanuel* hoc & loco, & tempore tale signum est.

3. Ait, *nomine Immanuelis nullam significari divinam naturam:*

nam

nam mori & puri puti homines passim hoc nomine vocati sint, & hodie vocentur.

℟. Distinguendum est inter *solum nomen*, & inter *rem substratam.* Etsi alii hoc nomine insignantur *titulotenus*: non tamen *res ipsa* divina, quam S. Scriptura de Christo loquens, hoc nomine complecti solet, aliis competit. Nam Filius Dei dicitur עִמָּנוּאֵל 1. *propter carnis nostræ susceptionem.* In carne enim nostrâ est manifestatus Deus, 1. Tim. 3. v. 16. nostræque carnis & sanguinis est particeps factus, Heb. 2. v. 14. 2. *Propter officii sui magnitudinem.* Nam in carne nostrâ, quam assumserat vice nostrâ, est passus & mortuus, nosq; à peccatis & legis maledictione redemit, Gal. 3. v. 13. Hæc sanè aliis hominibus non competunt. Sic Syracides, dicitur Jesus, tantùm *vocabulariter, & nuncupativè.* At noster Messias Christus dicitur Jesus realiter: quia *nos salvos facit à nostris peccatis.*

4. Regerit, quòd Propheta dicat, *istum Immanuelem nasciturum, butyrumq; & mel comesturum bonique & mali discrimen aliquandiu ignoraturum. Quorum nihil in æternum* Deum *cadere possit.*

℟. Dist. est inter Deum ἄσαρκον, cui illa non competunt, & ἔνσαρκον, qui Christus est, de quo ista dicuntur propter carnem in statu inanitionis, teste Historiâ Evangelistarum,

5. Opponit, *Christum dici Immanuelem propterea, quia fuerit signum præsentiæ & conversationis Dei cum hominibus: & quia Deus suam erga homines benevolentiam per Christum & in ipso declarârit*, allegatq; *Iob. 3. v. 2. & 14. v. 10. & 16. v. 32 Act. 10 v. 38. 2. Cor. 5. v. 19.*

℟. 1. Est fallacia causæ: Christus enim dicitur Immanuel: quia verè & propriè est *fortis Deus nobiscum*, i. e. qui nostram carnem assumsit, & nobis misericors est opitulator in omnibus malis. Vide Rom. 1. v. 3. & 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16. 1. Joh. 5. v. 20. & Apoc. 18. v. 8.

2. In allegatis testimoniis turpis fit confusio divinæ ὁμοουσίας, de quâ sermo est, Joh. 14. & 16. & præsentiæ duarum in Christo naturarum hypostaticæ, de quâ loquitur Petrus, Act. 10. v. 38. & Paulus 2. Cor. 5. v. 19. & denique præsentiæ gratiosæ, de quâ sermocinatur Nicodemus, Joh. 3. v. 2.

6. Postremo

6. Postremò scribit p. 103. *In dubium posse vocari, utrum hîc Christus dicatur Emmanuel: quia Evangelista hoc non affirmet, neq; etiam, quisquam Christum in N. T. vocâris Immanuelem: sed neq; Angelus hoc, sed nomen Iesu ei imponi mandârit.* Quam evidentem falsitatem si monstres ex allegatione Evangelistæ, Matth. cap. 1. v. 22. 23. ubi disertè allegat vaticinium Prophetæ (Esaiæ cap. 7. v. 14. idq; impletum esse in Christi nativitate comprobat: tum occinit, *esse cuivis facilè observare, tùm alios N.T. scriptores sæpè, tùm ferè semper hunc Evangelistam levi occasione, & propter exiguam convenientiam, aut similitudinem (etiam solorum vocabulorum) V. T. dicta proferre. Quæ tamen non prorsus, neq; in omnibus verbis cum re, de quâ in N.T. agitur, conveniunt, citatq; cap. 2. v. 17. 18.*

Ad. 1. Blasphemum est dicere, quòd Apostoli ex V.T. ullum dictum citarint, quod cum re, de quâ agitur, non conveniat. Nam Apostoli locuti sunt ex eodem Spiritu S. ex quo prophetæ sunt locuti; 2. Observandum est, quòd S. Scriptura quatuor imprimis modis dicatur impleri. 1. Quando id, quod fuit prædictum, *propriè & simpliciter* impletur. Sic prophetia Esa. 7. est impleta, Matth. 2. 2. Quando aliquid, quod *rei præteritæ est analogum*, obtingit. Vide Jer. 31. v. 15. & Matth. 2. v. 16. 17. 18. ùt & Judic. 13. v. 5. & Matth. 21. v. 23. 3. Quando ejus, quod *in genere* prædictum est, *exemplum speciale* evenit. Confer Esa. 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. 4. Quando id, quod prædictum est sive de *capite* sive de *membris*, aut in capite, aut in membris obtingit. Confer. Hos. 11. v. 1. & Matth. 2. v. 15. Dum igitur de primo impletionis modo Enjedinus iudicat ex reliquis tribus modis pariter, committit elenchum parium. 1. Impletio possit dici *numerica*, quia res eadem numero & prædicta, & impleta describitur. 2. *Analogica*. 3. *Specifica*. 4. *Mystica*.

Vindicatio Loci Matth. 9. v. 2.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Qui est καρδιογνώστης & ex propriâ authoritate alicui, remittit peccata, is est altissimus Deus, quippe cui καρδιογνωσία & talis remissio peccatorum competit, 1. Reg. 8. Ps. 32. & 103. At Christus est καρδιογνώστης & ex propriâ authoritate alicui remittit peccata. E. Exceptiones Enjedini excutiemus ad Marc. c. 2.

Vindi-

VINDICATIO LOCI Matth. cap 11. v. 27.

Et nemo novit Filium, nisi Pater &c.

Hinc nos sic argumentamur: Qui perfectè novit *Deum Patrem*, ùt *unigenitus ipsius Filius*, ille est altissimus Deus. Talis enim perfecta notitia includit *infinitam sapientiam*, quæ est attributum solius Dei: & unigenitus Dei Patris Filius, sic dicitur ob æternam *ex substantiâ Patris* generationem: & proinde divinam naturam habet. At Christus perfectè novit, &c. E.

Promittit Enjedinus p. 104. se responsurum ad Ioh. 1, v. 16. ubi ipsius responsa examinabimus.

Vindicatio Matthæi cap. 16. v. 16.

Tu es Christus Filius Dei vivi.

Argumentamur inde sic: Qui est ipse Christus & Filius ille Dei viventis, nempe *proprius & unigenitus*, is est altissimus Iehova. Ratio est, quia esse ipsum Christum, est esse promissum mundi Salvatorem; qui est ipse *Iehova*, Jer. 23. & 33. Atqui proprius & unigenitus Filius Dei, nullam aliam ob causam sic dicitur, quàm propter æternam *ex substantiâ Patris* generationem. μονογενὴς enim dicitur propter μόνην γέννησιν. Γέννησις verò, propriè dicta complectitur communicationem essentiæ ejus, qui generat.

At Jesus est ipse Christus & Filius ille Dei (Patris) viventis, nempe proprius & unigenitus. E.

Regerit Enjedinus p. 105. 106. 107. *generationem propriè Deo non competere: quia sit officium & proprietas animæ vegetativæ, & homini cum brutis sit communis sapiatq; imperfectionem & sordidiem. Quin & Deus vivus dicatur respectu filiorum adoptivorum, Hos. 1. v. 10. quia tamen ex essentiâ Dei non sint generati. Et si Deus vivus necessariò Filium ex essentiâ suâ generet; tum etiam Spiritum S. sic debere generare; quum ipse juxta nostram opinionem Deus vivus dicatur, 2. Cor. 6. v. 16.*

Bz. 1. Ipse Enjedinus ait p. 107. Stultum est, id quod de *naturalibus* dicitur, *ad supernaturalia* transferre. Cùm igitur loquatur de *physica generatione*, ùt ait p. 106. proinde perperam facit, dum ex Physicis præsumit judicare *de hâc Filii Dei generatione*, quæ toto genere ab illâ distat. Cùm enim Deus Pater sit *infinitus & æternus Spiritus*, & nequaquam.

quam corporea substantia, cur ex hujus generatione de illius judicaret? Cùm Arriani similiter ex *Physicis* de generatione Filii Dei blaterarent, respondit eis Athanasius, *generationem hanc superare & transcendere omnem vim humani intellectus*. Et in decretis Synodi Nicenæ, contr. Hæresin Arrianam Tom. 1. Athanasii p. 408. hæc insignia verba habentur: *Tametsi eadem dictiones de Deo & hominibus in sacris Scripturis habeantur, hominum tamen perspicacium est, ut Paulus præcepit, lectioni attendere, ut rem cum judicio discernant, & pro naturâ rerum, quæ ibi scribuntur, vocabula accipiant sine intellectus confusione, ne quæ Dei sunt, humano more fieri intelligas, neq; in rebus humanis tanquam de divinis cogites. Id enim est vinum aquâ miscere & ignem alienum altari inferre &c.*

2. Falsum est, quòd generatio *Physica* imperfectionem sapiat & arguat. Est enim effectus *benedictionis divinæ & ante lapsum* etiam habuisset locum. Potiùs sterilitas hominum est argumentum *imperfectionis*, adeoq; pœna Dei.

3. Non dicimus, quòd Deus vivus, *simpliciter & absolutè* loquendo, generet: secus & Christus, qui est *Deus vivus* ex suâ essentiâ generare deberet: sed quòd Deus Pater generet Filium. De generatione igitur hâc non nisi ex verbo Dei sentiendum & loquendum est. Est enim mysterium, quod nullius hominis ratio capit. Hinc Ath. T. 2. l. 5. de unitâ & sempiternâ substantiâ Trinitatis p. 420. inquit: *Ne huic nativitati aliquid comparetur, sicut scriptum est (Esa. 53. v. 8.) Generationem ejus quis enarrabit?*

Vindicatio Matth. 22. v. 45.

Quomodo ergò David in Spiritu, vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus, Domino meo &c.

Hinc nos probamus, Christum non tantùm esse Davidis *Filium*, sed ejus *Dominum*, & proinde altissimum Deum. Argumentamur ita: David Christum vocat *suum Dominum*, ita quidem, ut eum affirmet, *sedere ad dextram Dei Patris & in medio inimicorum* Dominari, *& esse æternum Sacerdotem*. E. credit, ipsum esse *summum* Deum. Nam etsi אֲדֹנָי etiam de homine dicatur: tamen hîc ita describitur, ut non nisi summo competat Deo. Confessus enim *ad dextram Dei Patris* tantæ sublimi-

sublimitatis est, ut etiam ipsis sanctis angelis detrahatur, Heb. 1. v. 13. & dominatus *in medio inimicorum*, tum corporalium, tum spiritualium, complectitur dominium *infinitæ majestatis & virtutis*, adeoque *nomen super omne nomen* Eph. 1. Phil. 2. & *sacerdotium æternum* nonnisi ei, quia à priori & posteriori æternus est, competit h.e. soli Deo.

Regerit Enjedinus 1. p. 108. *quòd David Messiam tali vocabulo appellârit, quod non naturam, sed conditionem & statum digniorem significat.*

℟. 1. In solo nomine אָדוֹן non subsistimus: sed addimus ejus circumstantias, quæ non nisi vero & summo Deo competunt. 2. Falsum est, quòd אָדוֹן tantùm statum digniorem significet. Nam alibi sæpè, ùt & hìc, est nomen ejus, qui *naturâ est Deus*: qui proinde dicitur, non tantùm אָדוֹן, sed & אֲדֹנָי, quod est nomen solius Dei altissimi. 3. Apertum mendacium est, quod sive servus Abrahamum, sive Abigail Davidem ornet titulo אֲדֹנִי Gen. 24. ℣. 35. & 1. Sam. 25. ℣. 24. Ibi enim est אֲדֹנִי: nõ autẽ אֲדֹנָי quod est nomẽ solius Dei.

Regerit 2. p. 109. *Qui putent, absurdum esse, ut Pater Filium vocet suum Dominum, videri eos & rerum & historiarum, quas citant, imperitos.*

℟. 1. Regestio hæc perstringit ipsum Christum: quippe qui Matth. 22. v. 42. 43. 44. Pharisæos, opinantes, Christum non Dei Patris sed tantùm Davidis Filiũ esse, inde refutat: Quia David Messiam appellârit *Dominum suum, sedentem à dextris Dei.* 2. Exempla quæ Enjedinus adducit, tantum probant, filios aliquando parentibus suis fuisse præstantiores. At quod parentes nominârint filios, suos dominos, non docet.

Regerit 3. *quod David Messiam vocitârit suum Dominum, ob suam dignitatem.*

℟. Sed non tantùm, verùm etiam ob divinam ipsius naturam. Nam solus ille, qui est naturâ Deus, sedet ad dextram Dei Patris, & est æternus Secerdos.

Regerit 4. *Illa Davidis verba satis, apertè inæqualitatem Messiæ & Iehovæ describere. Introducit enim* inquit, *Iehovam Imperantem Messiæ, collocantem illum ad dextram suam, tutelam, defensionem, ac pugnam pro illo pollicentem. At cui imperatur, qui collocatur, qui propugnatione eget, minor patrono est. Quod Deo æterno, & omnipotenti non convenit.*

℟. 1. verba modi imperativi non semper notant imperium

superioris in inferiorem, ùt constat. 2. Christus, ùt homo collocatus est ad dexttam Dei Patris, & ut homo, indiguit propugnatione. Quare hoc tantùm sequitur, quòd Christus, *ùt homo*, sit minor patre suo: sicut etiam docet Christus Joh. 14. ℣. 28.

Denique occinit Enjedinus p. 110. *quod* David ἐν πνέυματι i.e. πνευματικῶς *& mysticè, Messiam appellarit suum* Dominum: *Iam verò ex sensu non mystico, sed literali dogmata fidei stabiliantur.*

℟. 1. Falsum est, quòd ἐν πνεύματι, hic notet πνευματικῶς καὶ μυστικῶς. Est enim descriptio *causæ principalis*, ex cujus illuminatione & instinctu Dàvid prophetavit. Confer 2. Pet. 1. ℣. 21. 2. Rursus Christi ipsius argumentatio vitii arguitur. Nam si Psalmus 110. non *literaliter* de Christo loquitur, quomodo Christus exinde potuit solidè contra Pharisæos probare, quòd non sit *solius Davidis filius?* Solus enim sensus *literalis* sufficiens est ad demonstranda fidei dogmata.

VINDICATIO Matth. 28. ℣. 19.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii & Spiritus S.

Hinc nos sic colligimus: In cujus nomen baptizamur, (loquendo de Sacramento *baptismi*) ille est verus Deus. Baptismus enim est *stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo*, 1. Pet. 3. ℣. 21.

At in nomen Patris, Filii & Spiritus S. baptizamur. E. Pater, Filius, & Spiritus S. solus & verus est Deus.

Respondet Enjedinus 1. *Quod baptismus in S. literis nusquam Sacramentum dicatur, sed vox illa posterioribus seculis in Theologiam irrepserit.* At, inquam, etsi in verbo Dei baptismus istâ vocè non insigniatur: Res tamen ipsa in illo est comprehensa, ùt ex sequentibus patebit.

2. Regerit p. 112. *Deinde*, inquit, *illos quoq; qui baptismum Sacramenti nomine insignierunt, vocem Sacramenti in aliâ usurpâsse significatione, vel indè apparet, quòd multa alia hoc nomine appellârunt, in quibus tamen nullum juramentum, aut stipulatio fit. Nam qui extremo ungitur oleo, aut cœnam sumit, nullo se illi adstringit juramento, & tamen unctio & cœna vocantur Sacramenta.*

℟. 1. Nulla est consequentia: Quidam vocem Sacramenti etiam aliter usurpârunt, nempe de re, in quâ *nulla stipulatio* fit. E. eam non usurpârunt de actione sacrâ, seu ritu solenni & sancto, in quo Deus promittit, se hominibus fore Deum propitium, & si se illi fore obedientes.

obedientes per omnem vitam, restipulantur. Non enim positio unius significationis vocabuli, multifariam adhibiti, excludit positionem alius significationis.

R. 2. Neque nos dicimus, quod in baptismo infantes præstent juramentum, propriè dictum: sed quod ibi fiat Dei & hominum *mutua stipulatio*, teste Petro 1. c. 3. ℣. 21.

R. 3. Unctionem, quam venditant Papistæ, nos pro Sacramento divino nequaquam habemus.

3. Regerit: *Quis sanus unquam à non intelligente juramentum & obsequium exigat? Aut quis illum aliquid promisisse affirmet, qui nec sari, nec velle quicquam potest? At baptizantur infantes, nihil intelligentes, loquentes, aut volentes. Qui ergò dicunt baptizatos juramentum præstitisse, aut alicui se obligásse, insaniunt.*

R. Insanit potiùs Enjedinus, ipsius Dei sanctas Ordinationes ignominiosè oppugnans & ludificans. Infantes, quà tales, etsi usum rationis plenum nondum habeant: tamen sunt homines rationales, cum quibus, etiam *in infantiâ* adhuc constitutis, Deus dignatus est icere suum fœdus. Si ergò proptrerea negandus est Deus cum infantibus in baptismo aquæ pangere suum fœdus, quod illi usu rationis pleno nondum polleant: tùm etiam propter eandem rationem negandus fuerit; cum masculis Judæorum, 8. die circumcisis, olim percussisse fœdus. Quod prorsus pugnat cum Gen. 17.

Sed jam pergit Enjedinus ipsam propositionem nostri syllogismi penitus considerare, cujus *falsitatem* p. 112. *ex hoc quoq; apparere, quòd si illa vera esset, Moses quoq; solus & verus Deus habendus esset. Scribit enim Apostolus* 1. *ad Cor.* 10. ℣. 2. *Omnes Iudæos in Mosen esse baptizatos. Si ergò in aliquem baptizari, est illum verum Deum profiteri: Mosem verum Deum professos esse Iudæos, affirmandum est.*

Si respondeatur, quòd locus 1. Cor. 10 ℣. 2. huc non quadret, (quia *Matth.* 28 ℣. 19. *sermo est de baptismo aquæ, propriè dicto Sacramento N. T. At* 1. *Cor.* 10. *v.* 2. *sermo sit non de Sacramento aquæ, propriè dicto N. T. Sacramento, sed de typo baptismi: Item Matth.* 28. *alia sit phrasis quàm* 1. *Cor.* 10. *v.* 2. *Ibi enim sit, in nomen alicujus baptizari: hîc in Mosen baptizari i. e. Ductu Mosis sub nube per mare rubrum deduci*) regerit ille, *nihil interista interesse, in nomine alicujus, & in aliquem quippiam facere, aut dicere: sicut credere in aliquem, & in nomen alicujus, sit idem Iob.* 3. *v.* 18. *ut & in Iesum & in nomine Iesu baptizari, Rom.* 6. *v.* 3.

℟. 1. Falsum est, quòd non differant, in *nomine alicujus*, & *in aliquem* facere aut dicere. Nam in *nomine alicujus* aliquid facere aut dicere, describit *causam mandantem*: in aliquem verò aliquid facere aut dicere describit *objectum*, in quod dicitur vel aliquid efficitur.

2. Elenchus parium est, sic concludere: *Credere in aliquem*, & *in nomine alicujus*, sunt idem. E. & ubique idem sunt, in *nomen alicujus* baptizari, & *in aliquem* baptizari. Nam hoc dicitur quidem de homine nudo: illud nequaquam. Hoc etiam est uspiam typicum & figuratum: illud tantùm proprium. In Mosen baptizari in nube & in mari i.e. cum Mose participem fieri umbræ, ex nube provenientis, & cum ipso consortem fieri transitus maris. In Mosen baptizantur h.e. ipsum ducem habuerunt Christi baptismatis figuræ. Reliquas Enjedini objectiones vide solutas à Dn. Jacobo Martini lib. 2. de tribus Elohim c. 29. & 30.

VINDICATIO Marci, 2. ℣. 5.

Christus ait paralytico: *Fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

Et mox: *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus!*

Ex hoc loco sic colligimus. Nemo potest (naturali suâ *virtute*, & propriâ *authoritate*) peccata remittere. Nam hoc Christus tàm luculenter de se affirmavit, ut vel ipsi Pharisæi id olfecerint. Nam propterea putârunt, Christum *blasphemare*. Quòd si autem putassent, Christum *ministerialiter* remittere peccata, ùt prophetæ V. T. ea remiserunt, tum Christum *blasphemiæ* propterea non accusassent. Christus ergò est *verus Deus*.

Regerit Enjedinus, *Christum ipsum asseruisse, quòd filius hominis habeat potestatem remittendi peccata. Et proinde solus Deus eam non habeat.* Quia autem subodoratus est, per filium hominis ibi intelligi Christum, qui secundùm nostram confessionem *Deus* est, ideò p. 121. Confugit tùm ad *orationem Dominicam Matth. 6. in quâ nos dicamur remittere debita debitoribus nostris*, tùm *ad parabolam Matth. 18. in quâ jubeamur fratribus nostris remittere. Et proinde rursus Christum ostendere, quòd etiam nudi homines habeant potestatem remittendi peccata.* Ast, quia denuò olfecit, nos remittere peccata illa, quæ in nos sunt commissa, Matth 6. & 18. Peccata verò in Deum ipsum commissa remittere non posse ullum, nisi *solum Deum*, propterea introducit exemplum Apostolorum ex Matth. 18. & Joh. 20. *quibus sit data protestas remittendi peccata, neq; tamen illi sint verus*

Deus.

Deus. At hæc exceptio, jam tum in formatione propositionis παρεν-θεσις est destructa. Apostoli enim non sua, sed *Christi potestate* & authoritate, neque suo, sed *Christi nomine* remiserunt hominibus peccata. At Christus propria virtute & ἐξουσίᾳ remisit hominibus peccata adeò apertè & disertè, ut etiam ipsi pharisæi id animadverterint; proindeque artam blasphemiæ fuliginem ipsi obducere annisi fuerint.

Deinde pergit Enjedinus p. 121. & 122. *sensum dicti Christi evenere* inquiens: *Dixit Christus ad Scribas, se ex eo demonstraturum, habere filium hominis potestatem remittendi peccata, quòd jussu suo paralyticum sanare posset. At hoc non videtur esse congruum; neq; ad probandum sufficiens. Cùm enim corpus & animæ sint diversa: non sequitur, ex unius sanatione, alterius quoq; sanationem esse colligendam, &c.*

R. Hoccine non est, Christi collectionem vitiis arguere, & lucentes veritatis radios densis involvere tenebris? Christi ratio est firmissima. Nam una & eadem est *divina & infinita Virtus*, qua peccata, (quæ sunt morbi spirituales, non solius animi, sed hominis totius) remittuntur & qua in ictu oculi paralysis, aliique morbi miraculosè sanantur. *Solus* enim Deus propriâ virtute & authoritate facit *miracula*, Ps 72. ℣. 18. & 136. ℣. 4. Quia verò Pharisæi putabant, sanationem paralyseos *miraculosam*, esse longè majus quid, quàm peccatorum remissionem, quippe quam illi arbitrantur se & sibi & aliis omnibus horarũ interstitiis per sua sacrificia, & alia opera promereri posse, ideò Christus respiciens hanc ipsorum sinistram opinionem, dixit: *Utrum est facilius, &c.* q. d. Remissio peccatorum, & sanatio paralytici hominis miraculosè facta, est quidem per se *unius & ejusdem* virtutis divinæ: Vos verò pharisæi hanc illa majorem putatis, (tametsi perperam) Quia ergò ego possum in ictu oculi sanare paralyticum, quod vos aliquid majus esse putatis: proinde etiam possum remittere peccata, quod vos minus putatis. Confer hîc Theophylactũ.

Tandem Enjedinus ad *difficultatem*, quam putabat solvendam, putat, *in Christi dicto causam positam esse pro effectu, hoc sensu: Remissa sunt tibi peccata i.e. peccatorum effectus, nempe morbi &c.*

Sed Resp. hanc glossam stare non posse. Quia 1. Pharisæi ipsi, Christum vocem *peccatorum* sũsisse propriè, perspexerunt: siquidem Christum putarunt propterea blasphemasse, quòd dixerit ad paralyticum: *Remissa sunt tibi peccata i.e.* ἁμαρτήματα, & iniquitates. At

blasphemiæ reus non potuisset putari, si dixisset, se tantùm *infirmitates corporis* sanare. 2. Christus ipse antithesin ponit inter *Tò remittere peccata, & sanare morbum.* At ἀντιθετικὰ non sunt eadem. Quare hic peccata verè differunt à morbis: & proinde metonymicè vox *peccatorum* hîc non accipitur. Neque est, ut occinat Enjedinus p. 123. *oppositionem non consistere in vocibus illis, peccatum & paralysis seu morbus: verùm in illis verbis, dicere & facere.* Quod falsum est. Nam *dicere* hic non intelligitur nudum & inane, sed cum facto conjunctum. Christus enim non tantùm verbo, sed & *facto ipso* remisit paralytico sua delicta & iniquitates, ex quibus ceu fonte, profluxerat paralysis, ceu rivulus. Fonte igitur obstructo, & sublato, transtulit & amovit etiam rivulos, nempè paralysin, & alias paralytici hominis calamitates.

VINDICATIO Lucæ I. ℣. 16.

Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum &c.

Argumentamur nos hinc ita:

Is, ad quem Johannes Baptista convertit filios Israël multos, & in cujus conspectu præcessit, & cui paravit populum instructum, *fuit Deus Dominus* filiorũ Israëlis, angelo Gabriele dicẽte, Luc. 1. 16. 17.

Is, ad quem Johannes Baptista convertit multos filios Israel & in cujus conspectu præcessit & cui paravit populum instructum, *fuit Deus Christus*, quod testantur Evangelistæ omnes. E.

Regerit Enjedinus p. 124. *Esse quatuor terminos in Syllogismo, Medius enim terminus in propositione valeat cum hâc limitatione, primariò & principaliter. In minore, cum hâc, minus principaliter, & quasi secundariò.*

℟. Hanc distinctionem, esse nullam. Nam veræ conversionis terminus à quo, sunt peccata, quibus nos ipsos à Deo averteramus, terminus verò ad quem, est *altissimus Iehovah*, (& nulla creatura) ut videre est Esa. 45. 22. Zach. 1. 3 & Mal. 3. 7. Nec aliter esse potest. Nam vera hominis peccatoris conversio includit fidem, utpote sine qua impossibile est placere Deo, Heb. 11. 6. quæque non in creatura, sed in solo Deo recumbere debet Jerem. 17. Quod si dicas, Christũ non esse natura Deum, & tamen secundariò ad ipsum in vera justificante fide te convertes, statim eris Idololatra. Fides enim salvans in solo Deo recumbit & acquiescit.

Porro explicat Enjedinus suam sententiam *ex Matth.* 10, 40. & *Ioh.* 13.

Ioh. 13. 20. exindeq; elicere satagit, primario & principaliter recipi patrem, minus principaliter Christum, non propter ὁμοουσίαν divinam, sed propter officium legati.

℟. Ex distinctissimis nititur Enjedinus facere eadem. Nam hæc phrases Christi: Qui recipit me, recipit eũ (patrem) qui misit me Et qui recipit vos, me recipit; non sunt usque quaq; pares. Prior, enim includit ὁμοουσίαν divinam, & non tantùm missionem filii: Posterior verò nequaquam comprehendit ὁμοουσίαν divinam, sed rationem officii Apostolici, discipulis à Christo commissi, & vinculum Spirituale & Mysticũ, quod est inter Christum ipsiusque discipulos.

Dicit Enjedinus p. 125. *Quod Ioh. Baptista non ad Christum principaliter, sed ad Patrem Israëlis converterit, testari ipsius conciones, in quibus nunquam judæos ad Christum, tanquam Deum direxerit. 2. Ne ipse quidem sit factus Christi discipulus, sed sciverit tam se, quàm Christum ejusdem Dei esse ministrum. 3. Si inquit, Baptista Christum, tanquam Deum Israelis, suis auditoribus, procul dubio Iohannis discipuli, relicto ipso prædicaverit ad Christum transiissent. Quod tamen non omnes fecerint. 4. Malach. 3. 1. Deus Pater inquiat. Ecce ego mitto angelum meum &c sicut & Esa. 40. 3. de Deo Patre sermo sit. 5. Quia Iohannes vocetur propheta altißimi Luc. 1. 76. i. e. Dei Patris. v. 35.*

Resp. 1. Ratio prima est falsa: siquidem Baptista ipse Joh. 1. v. 7. dicitur venisse, ut testaretur *de luce, i. e. de Christo*, quem priorem se esse (ratione divinæ naturæ) clamavit ℣. 15. & 30. & legatos Judæorum *ad Christum ceu Iehovam, de quo sermo est, Esa. 40. 3. remisit v. 19. &c.* Et Jesum ad se venientem, vocavit *agnum illum Dei, qui tollat pecata mundi* ℣. 20. 36. & testificatus est, hunc esse Filium Dei ℣. 34. nempe unigenitum ℣. 18.

Resp. 2. Non sequitur: Johannes non est factus Christi discipulus, ut reliqui. E. eum non agnovit altissimum Deum, nec *principaliter* ad eum convertit populum Israel. Nam debuit ejus prodromus esse, vigore vaticinii Mal. 3. 1. & fideliter inculcavit, ipsum esse filium Dei unigenitum, & Messiam mundi. Quare evidenter falsum est, Johannem, esse tam se, quam Christum ejusdem Dei ministrum, scivisse.

Resp. 3. Connexio tertiæ rationis non est firma. Nam non discipuli Johannis pariter fuerunt confirmati, sicut illi duo, qui postquam repetitam Baptistæ asseverationem: Tu es *agnus ille Dei*: audivissent,

visſent, fuêrunt sic corroborati, ut Christum sint insecuti. Joh. 1. 35. 36 37. &c. Et licet reliqui discipuli apud Johannem mansissent, tamen per id à Christo non fuissent abducti, sed potiùs per conciones Johannis ad eum adducti.

Resp. 4. Ratio quarta non militat. Sive enim capitis 3. Malachiæ v. 1. explicemus de Deo patre (quo videtur Christi allegatio tendere Matth. 11. 10. Marci 1. 2. & Luc. 7. 27.) sive de Christo ipso (qui Malach. 3. 1. loquatur de se in primâ, in v. autem 2. in tertiâ personâ) nequaquam tamen inde colligi firmiter potest, quod Johannes Deo Patri viam præparaverit *principaliter*, Christo vero *minus principaliter*. Nam Christus est Deo patri ἰσος & Joh. 5. 18. ἰσότης verò, quæ Joh. 5. Inter patrem & filium perfectissima asseritur, excludit comparationem imparium: sicut par non est impar. Nec mirum videri debet, quod Johannes præparando viam Deo Patri, eandem præparârit filio, & vice versâ: quia pater & filius (essentiâ & voluntate) sunt unum, Joh 10. 20. Sicut igitur tàm pater, quam filius (& Spiritus S.) miserunt Johannem: ita illis pariter viam paravit, nec ullam uni præ reliquis ἐξοχὴν adscripsit.

Resp. 5. Ratio hæc quinta non militat: Deus Pater dicitur *altissimus*. E. ille *solus* sic dicitur. Nam sicut & filius est Deus verus 1. Joh. 5. 20. super omnia benedictus in secula Rom. 9. 5. ita & est altissimus.

Hactenus ad propositionem excepit Enjedinus: jam pergit assumptionem oppugnare p. 126. *dicen.* 1. *Quo i Iohannes non principaliter Christo parârit populum, sed in Christo Deo Patri: sicut in Christo praiverit Deo patri, qui in Christo fuerit, 2. Cor. 5 19. 2. Non sequi, ait: Cuicunq; Iohannes praivit, & præparavit populum, ille est Deus Israelis, Nam Iohannes & discipulis suis, & Apostolis, & aliis praiverit: & Paulo Apostolo parârit populum instructum, Act. 18. 14. & 19 1. &c. 3. Ait, non valere, si quis ex Matth 1. 21. ubi proprium Christi populus dicitur, colligere velit, Iohannem Christo principaliter parasse populum: nam Christi populus dicatur populus Israeliticus, quia datus ei sit à patre, Ioh. 17. 6. & Heb. 2. 13. Et Daniel. 9 nominetur populus Danielis, qui tamen non sit Deus Israel.*

Resp. Sunt meræ depravationes malitiosæ. Nam *praire Christo eiq; viam parare, h. e est prædicando & baptizando homines ad Christum à peccatis convertere*, sicut angelus explicat, Luc. 1. 16. At taliter nec suis discipulis, nec Apostolis præivit Iohannes. 2. In Christo fuit equidem Deus pater, sed non in sensu Enjedini, qui negat, Christum esse naturâ Deum verum in sensu scripturæ, quæ testatur, Christum esse unigenitum patris, ipsique consubstantialem filium. 3. Christi est populus Israeliticus, ut altissimi Dei (teste angelo Luc. 1. 16 17.) ipsique, ut est homo, populus iste in tempore est datus. Quæ cum ita sint, manet nostrum argumentum in suo valore.

Johannes Baptista multos filiorum Israelis convertit ad Dominum Deum ipsorum. Atqui convertit eos ad Christum: qui etiam per pronomen αὐτῶν asseritur esse ipse Dominus Deus filiorum Israel Luc. 1. 16. 17. E. *Christus* verè est *Dominus Deus* filiorum Israel.

FINIS. Disput. III.

POSTHUMUS
BEATI D. IUSTI FEURBORNII
ANTI-ENIEDINUS.
SEU
VINDICATIONES LOCORUM SACRORUM;

Quæ corrupit
ENIEDINUS.

QUARUM,
DISPUTATIONEM QUARTAM
Eruditorum Examini submittit,
PRÆSIDE,
VIRO
Maximè Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo,
DN. PETRO HABERKORNIO,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQ;
IN ALMA LUDOVICIANA PROFESSORE FAMIGERATISSIMO, PASTORE ET SUPERINTENDENTE
Giessensi vigilantissimo, Patrono, Promotore, & Hospite
suo æviternùm colendo,
RESPONDENS
M. BERNHARDUS DRESINGK,
HERVORDIA-WESTPHALUS.
Die 18. *Decemb.*
In Auditorio Theologorum.

(***)

GIESSÆ CATTORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI ORDIN. M.DC.LVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0087
DFG

VIRIS

AMPLISSIMO, PRUDENTISSIMIS,

ET SPECTATISSIMIS.

DN. JOHANNI VEGERS, Inclytæ Reip. Salis-Uſſlenienſis Conſuli Graviſſimo.

DN. ANTHONIO HOLLMANN, Inclytæ Reip. Hervordienſis Ædili meritiſſimo.

DN. CONRADO NEDDERHOFIO, Ejuſdem Reip. Hervord. Senatori dignissimo.

DOMINIS

Evergetis, Patronis & Fautoribus meis magnis,

Diſſertationem hanc ANTI-ENIEDINAM, *ut me Totum offero*

M. BERNHARDUS DRESINGK
HERVORDIÂ-WESTPHALUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0089
DFG

COROLLARIA.

I.

Inter opera S. S. Trinitatis ad intra, *& ad* extra *dari mixta quorundam est sententia.*

II.

Tres esse creantes *nonnulli asserunt, tres verò esse* creatores, *vel* tres esse causas creationis *nos asserere nolumus.*

III.

In arduo S. S. Trinitatis mysterio si termini : Relationes, proprietates (*sive* Characteres) *&* notiones *accuratè sunt distinguendi, non verò confundendi.*

IV.

Fides relativè *considerata quando justificare à Nostratibus dicitur, hoc intelligendum est de fide non* metonymicè *considerata, prout denotat tantùm* rem creditam, *vel* obedientiam Christi. *Nec 2.* abstractivè *spectatâ, prout tantùm est* organum apprehensivum. *Sed 3. Intelligi hoc debet de fide* συμπλεκτικῶς *spectatâ, prout est* terminus complexus, *&* concretivè *accipitur, conjungens tum* objectum apprehensionis, *tum etiam* ipsam apprehēsionē.

V.

Garriunt, ineptiunt & ludunt, Bona opera esse conditionem sine quâ non *salutis, qui scribunt.*

VI.

Mariam virginem aperto utero (*illesâ tamen virginitate*) *peperisse quidocet, à vero non abludit.*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0090
DFG

BONO Cum DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII *ANTI-ENJEDINI,*

DISPUTATIO IV.

Resp. M. BERNHARDO Dresingk/
Hervordiâ Westphalo.

VINDICATIO LOCI LUC. 1,35.

Ideoq; & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius DEI.

HINC nos sic argumentamur: Sanctum, quod natum est ex Mariâ virgine, Filius (non viri, sed) DEI est. At Christus est ex Mariâ virgine natus. E. Christus est Filius Dei: & proinde est *naturâ Deus*. Non enim hîc intelligitur Filius Dei sive per creationem, sive per adoptionem, sed per naturam: siquidem iste Filius dicitur *Immanuël*, id est, nobiscum Deus, Esa. 7. 14. & *Deus fortis*, Esa. 9. 6. & *regnum æternum* ei tribuitur. Dan. 7. 14. & Luc. 1. 33. At nullus homo, qui tantùm homo, & naturâ Deus non est, dicitur in S. literis Deus fortis, regnansque in æternum. Quam rem cùm ita probatum habeamus, ideò conjunctionem, καὶ v. 35, dicimus respi-

respicere unionem duarum in Christo naturarum hypostaticam & identitatem personæ innuere : non autem in solâ istâ conjunctione subsistimus. Nullius ergò momenti sunt, quæ p. 128. Enjedinus adfert, soliinhærens phrasi. Potiùs antecedentia & consequentia attendamus, sicut Enjedinus ipse p. 129. suadet. *Unde putat absurditatem nostræ interpretationis inclarescere. Quæ inde pateat* 1. *quòd secundùm illam angelus non responderit ad Mariæ interrogationem.* 2. *Et omninò dicendum sit in verbis, voces illas: διὸ καὶ : præcedentibus , angelum de alio quoque partu Mariæ esse locutum , cui sit illud sanctum per vocem καὶ conjungendum.* 3. *Nec verum sit mansurum, Christum bis esse genitum &c. Vide* p. 130.

Ad. 1. Ratio est invalida. Nam angelus non tantùm respondet ad Mariæ quæstionem, dicendo, Spiritus S. (non vir) in te superveniet : sed & plus addit, describendo singulariter mirabilem duarum in Christo naturarum unionem, per hæc verba : Et *virtus altissimi* (*id est, Filius Dei*, 1. *Cor.* 1. 14.) obumbrabit tibi, hoc est, in te Filius Dei, ceu lux incorporea, tegmine humanæ naturæ, quasi umbraculo quodam, se obteget. Ideoque & quod ex te nascetur, Filius Dei vocabitur. Conjunctio : *Ideoq́* : respicit totum antecedens v. 31. 32. 33. 34. ejusque complementum indigitat ; maximè verò & immediatè respicit proximè antecedentia verba : Et *virtus altissimi* &c. sicut fusius explicari Fascic. 3. disp. Theol. p. 331. &c.

2. Ratio vel olim à Theoph. est refutata, qui super hunc locum „ inquit. Confundatur & hoc loco Nestorius. Ille enim dixit, quòd „ non fuerit Filius Dei in utero virginis quiescens, incarnatus, sed nu„ dus homo fuerit è virgine natus, posteaque habuerit, Deum factum „ sibi comitem. Audiat igitur, quòd illud, quod nascebatur in utero, „ erat Filius Dei. Et non alius quidem fœtus est uteri, alius autem, „ Filius Dei, sed unus & idem fuit Filius virginis, & Filius Dei. Hæc „ ille.

3. Ratio itidem per se ruit. Quomodo enim hinc trinæ Christi emergerent generationes ? Prima ὁ λόγος, ab æterno à patre geniniti. 2. Ejusdem λόγος ex utero Mariæ prodeuntis. 3. Christi. Nam Christus & λόγος sunt una persona. Ergo ὁ λόγος ab æterno genitus est ex Patre, in tempore verò assumendo ex Mariâ virgine carnem, juxta eam ex ipsâ generatus est. Ὁ λόγος enim non seorsum, sed in carne assumtâ ex Mariâ virgine simul genitus est.

Vindicatio Dicti Luc. 1. 76.

Et tu puer, Propheta altissimi vocaberis &c.

Hinc sic concludimus: Solus Deus est altissimus, Psal. 83. 19. Christus est altissimus; quia Johannes fuit Propheta Christi, & ante ejus faciem præivit. E.

Regerit 1. *Quod Christus dicatur ὑψωθεὶς Act. 2. 33. & 5. 31.*

℟. At id de Christo juxta carnem est intelligendum.

Regerit 2. *Quòd Christus sui ipsius filius sit futurus, & à se ipso sit conceptus, si sit altissimus. Vide v. 32. 35.*

℟. At altissimus non tantùm dicitur Christus, sed & Deus Pater, ùt v. 32. 35. Quare hinc tantùm sequitur, quòd Deus Pater non sit Christus.

Regerit 3. *Johannem non fuisse Christi Prophetam: quippe à quo non fuerit missus.*

Resp. At hoc repugnat apertæ veritati. Johannes enim missus est à Deo, Joh. 1. 6. At Christus est ille Deus, Rom. 9. 5.

Vindicatio Capitis 1. Evangelii Johannis.

Quia hinc æterna Christi Jesu Deitas firmiter probari potest, propterea tantùm non furit Satanas in hoc capite detorquendo. Enjedinus p. 132. incipit illud per aliquot partes depravare.

1. *Quia non ultimum robur in occasione scripti Johannitici*, nos ait, *collocare, ideò de eâ ante omnia agendum* putat. Negat igitur, *scopum Johannis fuisse, refellere, Cerinthi & Ebionis hæresin, negantium Christum esse æternum.*

Resp. Istam negationem refutant & Irenæus, Eusebius, Hieronymus, & Epiphanius (apertè asserentes, *scopum Johannis fuisse auferre per Evangelii sui prædicationem, errorem, hominibus à Cerintho inseminatum.*) Et v. 31. cap. 20. Johannis, ubi ait: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quòd Jesus est Christus ille Filius Dei* (nempe, *unigenitus* cap. 1. & 3. *Patri suo* &c. cap. 5. v. 18. & *cum eo unum*, cap. 10. v. 30.) *& ut credentes, vitam habeamus per* nomen ejus. Argumentor hinc ita: In eum finem scripsit Johannes suum Evangelium, ut credamus, Jesum esse Christum *illum Filium Dei*, & ut credentes vitam habeamus *in nomine ejus*. E. ideò scripsit,

ut credamus, Jesum esse *altissimum Deum.* Nam 1. Jesus dicitur Christus, id est, unctus (juxta carnem) in mundi Salvatorem, qui est *Iehova*, Jer. 23. & 33. E. dicitur ille *Filius Dei*, nimirum non per creationem, nec per adoptionem, nec per solam nuncupationem, sed per *generationem æternam.* Vocat enim Christum, Dei Patris *Filium unigenitum* & *ipsi æqualem.* At unigenitus dicitur ob *unam generationem.* Et nemo Deo Patri *æqualis* est, nisi sit *naturâ Deus.* 2. In Christum credimus ita, ut in ipsius nomine vitam (æternam) adipiscamur. At in *solum Deum verissimum* ita credimus, ùt liquet ex Jerem. 17. v. 5. 6. & Esa 43. v. 10.

Nugamenta Enjedini, quæ contra hunc Evangelii Johannis scopum adfert p. 133. usque ad p. 136. refutata vide in insigni Logologiâ D. Meisneri c. 1.

In membro secundo arguit Enjedinus Evangelium Johannis *obscuritatis*, & alia scommata ei impingit: adeoque membro 3. recenset *dissimiles ejus explicationes*, omniaque ista eo fine producit, ut Evangelium hoc Johannis *extenuet.* Quæ injuria redundat in ipsum Spiritum S. ex cujus instinctu Johannes est locutus: & si ob dispares hominum explicationes Johannis Evangelium meretur reprehensionem, tum tota S. Scriptura reprehensibilis evadet. Quod absit. Vitium namque hominum ipsi S. Scripturæ imputari neque potest, neque debet.

In 4. membro annititur Johanni *vitium ἀνιστορίας affricare.* Sed perperam. Blasphematur enim ipse Spiritus S. & meræ depravationes adferuntur, de quibus suo loco copiosiùs agemus.

In 5. membro incipit Enjedinus directè verba Johannis detorquere, sed ita, ut prius, non sine blasphemiâ Evangelium Johannis comparet *cum libro Heracliti σκοτινȣ tenebricosi*, p. 153.

Per ἀρχὴν putat *intelligi initium prædicationis* τȣ̃ λόγȣ, multaque allegat testimonia pag. 154. 155. 156. in quibus vox ἀρχῆς ita sumatur.

℞. 1. Est Elenchus a particulari sic concludere:

Alibi vox ἀρχῆς notat *initium prædicati Evangelii.* E. & Joh. 1. v. 1. 2. Hic non potest notare initium Evangelii à Christo prædicati: quasi Christus ex & in Mariâ demum existere cœperit. Nam 1. Hic λόγος absolutè & simpliciter dicitur *Deus*, qui est *æternus.* 2. Hic λόγος dicitur in *principio fuisse* apud Deum (Patrem,) cum quo est *unum*; 3. *Omnia per ipsum* dicuntur *facta seu creata* v. 3. E. in *initio creationis*, à Mose descriptæ, non

ptæ, non demum cœpit existere, sed jam tum extitit. 4. Hic λόγος (Sapientia Patris) non tantùm dicitur *in initio*, sed etiam *ante initium*, adeoque *ante creaturas fuisse*, Prov. 8. v. 22. & Col. 1. v. 17.

Error autem non levis est, quando Enjedinus p. 156. putat, quòd vox ἀρχῆς 2. Thess. 2. v. 13. notet *initium Evangelii*: & proinde locus ille non agat de *æternâ electione*: quia subjiciat Apostolus, *in quod vocavit vos per Evangelium nostrum*. Nam describitur ibi electio hominum ad salutem *æternam*. Quæ facta est, *ante jacta fundamenta mundi*, Ephes 1. v. 4. Nec obstat, quòd vocatio facta sit in tempore. Hæc enim distinguitur ab electione, teste Paulo, Rom. 8. v. 30. Licet igitur hæc *in tempore* fiat: illa tamen *ab æterno* facta est. Fons autem, unde hîc Enjedini error profluxit, est negatio *omniscientiæ divinæ*. Negant enim Photiniani, Deum illa futura scire, quæ in hominem & cadere & non cadere possunt. Quia E. in fide (finali) sumus electi: & verò fides per peccata atrocia potest abjici; hinc putant, Deum *ab æterno* non scivisse, quinam certò sint electi? Qui error refutatur ex Act 15. v. 18. 1. Cor. 2. v. 7. & 2. Tim. 2. v. 19.

Porrò fatetur Enjedinus p. 157. quòd vox λόγος *ponatur quidem aliquando pro Messiâ, quem Deus miserit in mundum, ut promissiones adimpleret, & per illum suam voluntatem mundo luculentiùs patefaceret. Quòd autem λογος nec Spiritum nec aliquam Divinam personam significet, quæ ante nativitatem ex Mariâ reipsâ extiterit*, putat, *inde demonstrari, quòd quotiescunque in N. T. per λόγον Messias intelligitur, non possit Scripturæ locus, nisi de homine accipi.* Nam hic idem Johannes 1. Epist. 1. dicat λόγον ζωῆς *oculis visum, & manibus fuisse contrectatum.* Idem affirmet Lucas cap. 1. v. 2. Et Apoc. 19. v. 13. ille, cui *nomen fuerit* λόγος θεοῦ, affirmetur *habuisse vestem, sanguine tinctam. Quorum nihil competat Spiritui, aut personæ Divinæ. E. neq; hîc* λόγος *de alio, quàm homine Jesu accipi* debeat.

Ad 1. Omninò falsum est, quod ὁ λόγος non notet Spiritum, & personam Divinam, quæ ante nativitatem ex Mariâ virgine extiterit. Nam hic λόγος 1. dicitur *Deus absolutè & propriè*: qui certè est Spiritus, Joh. 4. v. 24. 2. Fatetur ipse Enjedinus, quòd ὁ λόγος notet hîc Messiam, qui est *Jehova*, ùt vel constat ex Hos. 1. v. 7. & Jerem. 23. v. 7. 3. Hic λόγος dicitur fuisse ἐν ἀρχῇ nempe κτίσεως, adeoque *ab æterno*. Nam in initio creationis non cœpisse, sed jam tùm *fuisse*, *antequam* quicquam fuit creatum, est descriptio *æternitatis*, ùt liquet ex Prov. 8. v.

22 &c. & Psalm. 90. v. 1. E. λόγος non demum cœpit existere in Mariâ virgine. 4. Per hunc λόγον *omnia sunt creata*. At nisi ante nativitatem ex Mariâ virgine extitisset, tùm per ipsum non potuissent *omnia creata esse*. Creatio enim totius universi longè præcessit Mariæ virginis ὑπαρξιν.

Rt. 2. Nec Enjedini argumenta quicquam contrarii probant. Loquuntur enim de λόγῳ non amplius ἀσάρκῳ, sed ἐνσάρκῳ: qui nempe *factus erat caro*, Joh. 1. v. 14. Verè igitur in carne suâ fuit visus & tactus, vereque suum sanguinem pro nobis effudit.

Deinde Enjedinus ex Act. 10. v. 36. & 13. v. 26. annititur probare, *quòd Iesus tunc propriè dici debuerit* λόγος, *cùm annunciârit* λόγον θεοῦ: *At hoc non in V. T. factum sit, Heb. 1. v. 1. sed post baptisma Iohannis; Tunc enim cœperit Iesus docere & loqui. Tantùm igitur absit, ut vox* λόγος *quendam Spiritum significet, & invisibilem substantiam, ut ne Iesu quidem jam nato, ante prædicationem verbi propriè possit attribui.*

Rt. 1. Λόγος non tantùm notat verbum προφορικὸν, sed & ἐνδιάθετον, adeoque & ἔμφυτον. Filius ergò Dei dicitur λόγος, non tantùm ideò, quia interpres & præco fuit voluntatis divinæ, quam ipse *in sinu patris existens, nobis explicavit*. Joh. 1. v. 18. Verùm & primò ideò, quia est *ratio & sapientia patris*, Prov. 8. v. 22. Luc. 11. v. 49. & 1. Cor. 1. v. 24. quâ cùm Deus Pater *ab æterno* non fuerit vacuus, oportet ergò τὸν λόγον *ab æterno* extitisse. Et nonné Johannes dicit, quòd ὁ λόγος sit *Deus*, qui in principio (creationis) *fuerit apud Deum*, & *per quem omnia sint facta*? Proinde ὁ λόγος priùs extitit, quàm Evangelium fuerit prædicatum. Quomodo ergò ob solam Evangelii prædicationem Christus dicatur λόγος?

Rt. 2. ὁ λόγος *factus est caro*. E. etiam ante incarnationem extitit ὁ λόγος. Quomodo ergò hoc nomen ei demum competat, quando post baptisma Johannis cœpit publicè docere?

Rt. 3. Loci Act. 10. v. 36. & 13. v. 26. loquuntur de λόγῳ prædicato, qui *distinguitur* ibi à Jesu Christo, *omnium Domino*, proindeque *altissimo Deo*. Omnium enim Dominus, est altissimus *Iehova*. Non igitur exinde probari potest, quòd Christus dicatur λόγος tantùm propterea, quia annunciârit τὸν λόγον θεοῦ: sicut dicitur *via*, quia per ipsum itur ad Patrem. Hinc enim sequeretur, quòd Christus non propriè, sed *metonymicè* dicatur: ὁ λόγος, & quòd per λόγον non fuerit *mundus creatus*, &

τῶν, & quòd λόγος non sit *factus caro*. Verbum enim prolatitium & evangelizatum non est ipse Christus, nec per id est mundus creatus, nec id est caro factum.

Resp. 4. Falsum est, quòd in V. T. λόγος σωτηρίας non fuerit prædicatus, Evangelium enim ibi fuit prædicatum, Gen. 3. v. 15. Rom. 1. v. 1. 2. & Gal. 3. v. 8. At Evangelium est verbum salutis, Rom. 1. v. 16.

Resp. 5. Nec aliud evincitur ex Heb 1. v. 1. 2. Nec enim sequitur: *Deus olim* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *locutus Patribus in Prophetis, extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium* (incarnatum) E. olim Patribus non est Evangelium prædicatum: quemadmodum non sequitur: Filius in N. T. prædicavit *pœnitentiam*, Luc. 13. v. 3. E. Patribus olim *pœnitentia* non fuit annunciata. Discrimen ergò locutionis Dei in V. & in N. T. ibi inculcat autor epistolæ ad Hebræos: non autem negat, *Filium Dei* in V. etiam T. esse locutum: secus apertè contradiceret Petro, asserenti, quòd *Spiritus Christi fuerit in Prophetis*, 1. cap. 1. v. 11. cum quo confer 1. cap. 3. v. 19.

Porrò *esse* τὸν λόγον *apud Patrem* explicat *per* τὸ *Deo Patri cognitũ, hominibus autẽ absconditũ esse*: allegans 1. *Epist. Ioh.* 1. v. 2. *& Ioh.* 17. v. 5. *&* 7. v. 39. *& exemplũ Iohannis Baptistæ, Luc.* 1. v. 15. 80. *ac Davidis, qui fuerit Rex* πρὸς τὸν Θεὸν, *cùm Samuel in Regem eũ unxisset: & cœperit esse Rex* πρὸς τοὺς ἀνθρώπους *post mortem Saulis*. Sic putat *Col.* 3. v. 3. τὸ *in Deo esse, idem significare, quod absconditum & tectum esse hominibus*.

Resp. 1. Falsum est, quòd Filium fuisse *in principio apud Patrem*, notet *Patri fuisse cognitum, hominibus verò incognitum*. Nam notat, in *principio* (adeoque ab *æterno*) *extitisse apud Patrem*: Siquidem 1. sic dicitur fuisse ὁ λόγος *apud Patrem*, ùt dicitur fuisse *in principio*. Nam utrobiq; verbum substantiale (*erat*) pariter usurpatur v. 1. Ad quoad realem ὑπαρξιν fuit *in principio*, concedentibus id Photinianis, tametsi vocis *principii* genuinam significationem adulterantibus. 2. Sic fuit *apud Patrem*, ut sit ipse *Deus creator*, v. 3. At si tantùm *quoad notitiam* fuisset in principio apud Deum, tum non fuisset ipse Deus creator. Nota enim Deo sunt omnia, quæ tamen non sunt *ipse Deus*. 3. *Novit Dominus, qui sunt sui*, inquit Apostolus, 2. Tim. 2. v. 19. Nec tamen electi dicuntur in *principio fuisse apud Deum*, sed electi à Deo τῇ προγνώσει Rom. 8. v. 30. Eph. 1. v. 4. 4. Si esse *apud Patrem* notat hominibus ignotum, Deo verò cogni-

cognitum esse, tum vox principii hîc nequit notare principium prædicati Evangelii, sed notabit ipsam æternitatem : siquidem Christus Messias & Propheta Deo Patri *ab æterno* fuit cognitus. Eligant igitur Photiniani, utrum velint, & tamen è cassibus contradictionis hic sese non expedient. 5. Si esse apud Patrem notat soli Deo cognitum esse, tum Christus eo tempore nulli homini fuit *notus*. At aliquibus fuit notus, nempe Mariæ virgini, Josepho, Zachariæ, Elisabethæ, Magis, Simeoni, & aliis.

Resp. 2. Nec quicquam allegatæ rationes Enjedinum juvant: siquidem 1. Joh. 1. v. 2. non opponuntur τὸ *esse apud Patrem*, & *manifestari*; sed distinguuntur, & proinde non æquipollent. Nec esse *apud Patrem* ibi potest notare hominibus quidem occultum & ignotum, sed coram Deo certum, & in oculis ejus perspicuum & clarum esse. Nam Johannes ait : *Vita erat apud Patrem, & manifestata est nobis*. E. ipsis illa vita (id est, ὁ λόγος, qui est vita substantialis) non fuit obscura, ignota & occulta, sed cognita & perspicua, adeò ut eam oculis sus viderint, & manibus contrectaverint, v. 1.

Nec Joh. 17. v. 5. *Tò glorifica me apud temetipsum* notat, gloriam meam, quæ hominibus est obscura, propala : sed me respectu corporis in plenum gloriæ divinæ usum traducito. Quomodo enim notet gloriæ propalationem & manifestationem, cùm petat se glorificari *apud ipsum* Deum Patrem suum, cui nequaquam vel ipse vel ipsius gloria erat incognita ? Habuit, ùt *Filius* ; E. habuit non tantùm quoad prædestinationem, sed etiam quoad realem ὕπαρξιν.

Nec Johan. 7. v. 39. verba : *nondum Jesus erat glorificatus* : habent sensum Enjedini, quasi Christus *apud homines* quidem, & coram illis nondum fuerit glorificatus : *apud Deum Patrem* verò semper fuerit gloriosus. Nam hæc glorificatio notat Christi passi, mortui, sepulti, resuscitati & ad cœlos elevati ingressum in gloriam suam, Luc. 24. v. 26. Qui nec respectu Dei, nec respectu hominum tùm erat præteritus, sed imminebat. Etsi enim Deo omnia tempora sint præsentia : non tamen temporalia propterea evadunt æterna respectu sui ipsorum. Negandum equidem nec est quòd Christus, *ùt Deus* apud Patrem semper fuerit gloriosus : at respectu carnis deinde fuit plenè glorificatus & super exaltatus, *Phil.* 2. *v.* 9.

Nec

Nec Luc. 1. v. 80. Johannes nudè & simpliciter dicitur *fuisse apud Israëlem*: sed *in eremo, usque in diem* ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. Non enim statim, sed certo tempore debuit in frequentiam Israëlitarum prodire, ipsúsque verbum Dei prædicare.

Et falsum est, quòd David ab eo tempore, quo à Samuele fuit in Regem unctus, nullatenus πρὸς ἀνθρώπους, sed πρὸς θεὸν fuerit rex. Nã illa Davidis unctio in regem, valorem habuit, & Dei & hominum respectu: Nec soli Deo, sed & hominibus aliquibus statim fuit cognita. David enim in medio fratrum suorum fuit in Regem unctus, 1. Sam. 16. v. 13. Etsi ergò post mortem Saulis cœperit Rex esse, quoad plenam regni administrationem, tamen & ante illam Rex fuit apud Deum & homines, quoad acceptam regiam dignitatem, ἐξουσίαν, & factam designationem, & unctionem.

Nec denique Col. 3. v. 3. illa phrasis nudè habetur: *in Deo esse*: sed ita Paulus ait: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Etsi enim *piorum vita ac gloria cœlestis* etiam in hâc vitâ capiat initium, Joh. 3. v. 36. Heb. 6. v. 5. Eph. 3. v. 17. 18. 19. & Gal. 2. v. 19. 20. Tamen plena fruitio demum est futura post resurrectionem, quando Christus manifestatus fuerit. Col. 3. v. 4.

Ad verba Johannis: Καὶ ὁ λόγος ἦν θεὸς excipit Enjedinus p. 159. *Dei vocabulum dignitatis potiùs & officii esse nomen, quàm naturæ & essentiæ. Unde variis rebus tribui soleat, sicut ex V. & N. T. appareat, Psal. 82. & 1. Cor. 8. Non ergò sequi, si quis dicatur Deus, ideò statim pro æterno Deo esse habendum. Est ergò λόγος*, inquit, *Deus, sed à Deo factus & constitutus Deus, Act. 2. v. 36. & Heb. 1. v. 9 &c.* Hoc putat inde *confirmari, quòd* θεὸς *hîc sine articulo sit, positus, ut indicetur, non illum summum & solum Deum eâ voce hîc significari.*

Resp. 1. Falsum est, quòd Dei vox, *propriè & simpliciter* posita, sit potiùs dignitatis, quàm naturæ nomen. Notat enim in suâ significatione *propriâ* eum, qui *naturâ* Deus æternus est. Unde & Christus cum articulo, & adjectivo dicitur, ὁ ἀληθινὸς θεὸς, 1. Joh. 5. v. 20.

Resp. 2. Psalm. 82. v. 6. Magistratus in *singuli numero*, non dicitur sive אֱלוֹהַּ sive θεὸς: sed in *plurali* dicuntur אֱלֹהִים & θεοὶ, nempe, λεγόμενοι, 1. Cor. 8. & quidem, ùt Justinus Martyr exponit, 1. διὰ τὴν κλῆσιν *propter vocationem*, Deus enim illos vocavit ad tam amplum gerendum officium. 2. διὰ τὴν τάξιν *propter ordinem*. Deus enim ipsos ordinavit custodes legis divinæ, & rerum publicarum rectores. 3. διὰ τὴν τιμὴν *propter ho-*

pter honorem, quem Deus eis vult à subditis deferri, teste Paulo, Rom. 13. v. 7.

℣. 5. 1. Cor. 8. v. 5. sermo est de *idolis etiam*. An in illorum numemero Christum habebit Enjedinus ? Certè Act. 2. v. 36. Christus non dicitur *factus Deus*, sed Deus Pater dicitur ipsum *fecisse* (respectu carnis) *Dominum & Christum*. Nec Heb. 1. v. 9. Christus dicitur *factus Deus*, sed ibi describitur ejus unctio. Unctus autem est, non in deitate, sed in humanitate. Confer. Fascic. 3. p. 204. &c.

Resp. 4. Omissio articuli non probat efficaciter, Christum esse Deum *non æternum*, sed factum : quia ipse verus & altissimus Deus sæpè dicitur θεὸς sine præpositio articulo, ùt videre est Psalm. 96. v. 45. Ut taceam, Christum sæpè dici Deum cum adjecto articulo, ùt Act. 20. v. 28. & Heb. 1. v. 8. Ideò autem articulus est intermissus, ut melius subjectum discerneretur à prædicato.

Ad verba : ὅτι ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεὸν : reponit p. 160. quòd *nos dicamus, hâc repetitione ideò fuisse Evangelistam usum, quòd magni sit momenti eam sententiam memoriâ tenere. At*, inquit, *si ipsorum opinio vera est, plus dixit de λόγῳ, cùm ipsum vocavit Deum, quàm cùm eundem in principio apud Deum fuisse asserit. Nam quis nescit, non modò λόγον, sed omnia, quæcunq; sunt, fuerunt, & futura sunt, apud Deum ab æterno, fuisse & esse ? Illi enim nihil est præteritum, neq; futurum, sed omnia præsentia ; hinc etiam nos dicit Apostolus, ab æterno fuisse apud Deum, Eph. 1. v. 4. Et alibi Act. 17. In ipso omnes esse. Ergò nihil magni dixit de λόγῳ, illum in principio apud DEVM fuisse, asserendo &c.*

Resp. 1. Falsum est, quòd nihil magni dixerit de λόγῳ asserendo, illum *in principio apud Deum fuisse* : quia eo ipso asserit ejus *æternitatem*, & ὁμοσίαν cum Patre. Fuit enim in principio *apud Patrem*, ùt *Filius unigenitus, & proprius*.

Resp. 2. Falsum est, quòd creaturæ dicantur *ab æterno fuisse apud eum*, Eph. 1. v. 4. Ibi enim constanter credentes dicuntur *electi fuisse in Christo ante jacta mundi fundamenta*, credentes, inquam κατὰ divinam προγνωσιν, non verò reipsâ existentes. Act. 17. v. 28. dicimur *in Deo esse, vivere & moveri*, nempe in *tempore*. Est enim descriptio præsentiæ universalis gubernatricis & conservatricis ipsius Dei.

Resp. 3. Verum est, quod Deo nihil sit præteritum, vel futurum, (supra autem p. 61. ad Psalm. 2. hoc negaverat Enjedinus) sed omnia

omnia præsentia : At inde non infertur, quòd omnia creata *ab æterno apud Deum ὄντως* reipsa extiterint.

Resp. 4. Causæ repetitionis Johanniticæ sunt hæ. Ut textus fieret manifestior, nempe voculas illas ἐν ἀρχῇ reliquis etiam membris antegressis esse addendas, ut : *Verbum erat in principio : Verbum in principio erat apud Deum : Verbum erat in principio Deus.* 2. Ut hæresis Cerinthi & Ebionis eò fortiùs reprimeretur, dicentium, Verbum demum cœpisse *cum Mariâ virgine.* Negat hoc Johannes, quia ὁ λόγος *in principio* fuerit *Deus ipse, & in principio fuerit apud Patrem*, & in *sinu ejus.* 3. Ut æternitas Filii, ipsius & Patris ὁμοουσία eò magis Lectoris menti & memoriæ imprimeretur.

Ad verba : πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *omnia per ipsum facta sunt*, excipit 1. *Vocabulum* πᾶν & πάντα *non semper universaliter usurpari, sed ad certa quædam, & nonnunquam ad pauca restringi, ut Iohan. 12. vers. 32. & 13. v. 3. (cum quo conferri vult Iob. 17. v. 2.) Matth. 17. v. 11. Eph. 1. v. 10. & 3. v. 9. Col. 1. v. 20. 2. Cor. 5. v. 17.*

Eodem sensu, inquit, *dicuntur homines* πᾶσα κτίσις *Marci 16. v. 15. Col. 1. v. 23. 1. Pet. 2. v. 13. & fortasse etiam Rom. 8. v. 22.* Deinde excipit, vocabula κτίζειν, γῆν, γίνεσθαι *non semper substantialem, sed solam accidentalem mutationem significare, ut Eph. 2. v. 10. 14. 15. & 3. v. 11. & Ioh. 3. v. 3. Iacob. 1. v. 18. Rom. 4. v. 18. 1. Ioh. 2. v. 29.* Putat ergò *hunc esse sensum, humanum genus esse renovatum per Christum : quia Deus olim per Esaiam promiserit novum cœlum & terram : per Ieremiam novum fœdus. Quæ applicent Apostoli ad ætatem & exhibitionem Christi. Quin etiam Luc. 19. v. 12. 27. & Matth. 21. v. 41.*

Resp. 1. Est Elenchus à particulari, sic concludere : Vocula πᾶν & πάντα alibi sumitur μεθεκτῶς. E. & hîc

2. Nec in omnibus citatis testimoniis sumitur particulariter, ut exposuit Enjedinus. Nam Eph. 1. v. 10. per τὰ πάντα, non soli homines, proindeque nec soli electi, sed & *Angeli* connotantur, hoc sensu, quod eorum amicitiam nobis Christus recuperârit. Vide Fascicul. 2. dissert. pag. 77. &c. Sic nec Eph. 3. v. 9. τὰ πάντα tantùm notant Ecclesia.

3. Rursus est elenchus à particulari; sic concludere : Verbum γίνεσθαι interdum notat mutationem accidentalem. E. & hîc.

4. Nec sequitur : In V. T. Deus promisit regenerationem & renovationem, seu novam creationem. E. illa describitur Johan.

5. Nec potest interpretatio Enjedini hic stare: quia 1. τὸ πᾶν explicatur per *mundum*, v. 10. 2. *Mundus factus* dicitur *non cognovisse Christum*, v. 10. E. hæc ποίησις non notat regenerationem & renovationem. Regenerati enim & renovati cognoscunt Deum, 1. Joh. 2. v. 14. 3. Ne τὰ πάντα, quæ per λόγον sunt facta, extendas ad solos homines; ideò Spiritus S. ait, quòd verbo Dei *cœli* sint firmati, Psal. 33. v. 6. quòd *in Filio sint condita universa in cœlis & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive throni sive dominationes, &c.*, Col. 1. v 16. & *sæcula*, Heb. 1. v. 2. & quòd *terræ fundamenta Filius Dei jecerit, & opera manuum ipsius sint cœli*, Heb. 1. v. 10. & quòd *cum Patre usque nunc operetur*, Joh. 5. v. 17.

Ad verba, v. 10. *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*: excipit p. 163. 164. *sententiam esse hanc*: *Christus versabatur inter homines, & illos renovabat, reconciliabat Patri cœlesti, sed magna pars illorum (quam respectu paucorum proborum pessimus dicere totum mundum) tenebris assueta, admittere ipsius doctrinam, & ipsum pro rege & servatore noluit cognoscere.* Argumento autem hoc nititur: *quia mundus sæpè notet homines, adeóque interdum solos electos, ut Iohan. 3. v. 16. ut salvetur mundus per eum.*

Resp. 1. Rursus est Elenchus è particulari sic colligere: Mundus *aliquando* notat solum humanum genus. E. & *hic*.

2. Falsum est, quòd *mundus* hic notet solos homines renovatos: quia hìc mundus dicitur non agnovisse Christum. Quæ proprietas pugnat cum renovatis, Eph 4. v. 23. 24. & Col. 3. v. 10.

3. Confundit Enjedinus, reconciliationem *meritoriam* cum renovatione. Illa est communis omnibus hominibus: quippe quos omnes Christus Deo Patri reconciliavit, expiando ipsorum peccata, 2. Cor. 5. v. 19. Hæc est credentibus propria: quippe qui soli sunt renovati.

4. Mundi vox in hoc v. 10. non uno modo accipitur. Nam primo & secundo loco notat totum terrarum orbem, & genus humanum simul: quibus ὁ λόγος adfuit præsentiâ suâ providâ. In tertio verò loco notat improbos homines.

5. Nec utquam in verbo Dei vox *mundi* notat solos electos: ne quidem in verbis Johannis cap. 3 v. 17. *ut salvetur mundus per ipsum.* Etsi enim soli electi salventur æternùm: tamen semper manet vera hæc Dei *intentio* & beneplacitum: videlicet non misit Deus Filium suum in mun-

in mundum, ut condemnet mundū, sed ut salvetur *mundus* (id est, totum genus humanum) per eum, 2. Cor. 5. v. 19. Aliud ergò est, loqui de salutis *intentione*, quâ omnium hominum salutem Deus intendit, & aliud, loqui de *assecutione* salutis. Illa respicit omnes homines 1. Tim. 2. v. 4. Hæc solos finaliter credentes, Matth. 24. v. 13.

Ad v. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο: regerit p. 165. *vocabulum carnis pro infirmitate, corruptibilitate & miseriis accipi.* Allegat probationis loco, *Heb. 5. v. 7. Col. 1. v. 22. & Heb. 2. v. 14.* Vult ergò *hunc esse verborum Iohannis sensum: Verbum caro factum est, i. e. homo ille Christus factus est afflictus, & repudiatus à potiori parte mundi, & mortem acerbam sustinuit.*

Resp. 1. Falsum est, quòd ὁ λόγος notet solum hominem in sensu Enjedini. Nam ὁ λόγος idem intelligitur v. 14. qui intelligitur v. 1. 2. 3. 4. At hìc non intelligitur homo merus, sed *æternus Deus*: quippe qui non cœpit in initio creationis, sed jam tum fuit, adeoque est ante principium creationis, Prov. 8. v. 22. & ante omnes, Col. 1. v. 17. quiq; est creator omnium.

Resp. 2. Falsum & hoc est, quòd *caro* hìc non significet substantiam, sed *accidens*, nempe infirmitatem, & corruptibilitatem. Nam 1. Si caro notaret non substantiam, sed accidens, ergò ὁ λόγος factus esset *accidens*. Quod absurdum. 2. Quando Spiritus S. per *carnem* hominis infirmitatem exprimit, tum tamen *ipsum hominem* non excludit; sed præsupponit, ùt videre est, Esa. 40. v. 6. Jerem. 17. v. 5. Matth. 26. v. 41. Rom. 6. v. 19. & 2 Cor. 4. v. 11. Etsi ergò caro hìc notet carnem *miseriis humanis* obnoxiam: tamen simul ipsam *substantiam carnis* designat. 3. Si notat ipsam *corruptionem*, & ut ita loquar, contemptibilitatem, *exclusâ substantiâ*, tum Johannes dicere nequit, v. 14. Et *conspeximus* gloriam ejus, nempe in divinis miraculis conspicuam. Gloria enim opponitur contemptibilitati. 4. Si significat non substantiam humanæ naturæ, sed tantùm *infirmitatem*: tum & ruet Johannis effatum, v. 14. *Vidimus gloriam ejus, velut unigeniti à patre.* An enim titulo *unigeniti à DEO Patre*, ista infirmitas potest salutari? 5. Ut taceam, quòd si vel maximè vox carnis notaret solam infirmitatem & miseriam & ὁ λόγος notaret solum hominem; nihilominus sententia Enjedini negantis Deitatem Christi, stare non posset. Nam qui est homo mortalis tantùm, ille non est μονογενὴς à Patre, i. e. Filius Dei æternus, ex substantiâ ejus genitus. 6. De hoc λόγῳ, qui caro factus est, dicitur, quod sic *fuerit*

plenus gratiâ & veritate, ut de plenitudine ejus nos omnes acceperimus, gratiam pro gratiâ v.14.16 At merus homo, quia tantùm habet finitâ plenitudinem, non potest omnibus piis ea dare, quæ ipsis necessaria sunt ad salutem æternam capessendam.

Resp. 3. Quòd si quæras, cur Johannes non dixerit: ὁ λόγος factus est homo: sed, *caro*. Et causas subesse has: 1. Quia voluit indicare, quòd ὁ λόγος non factus sit *persona humana*: quæ potuisset concipi, si termino personali, homo, usus fuisset: secus, in sacro sensu vera & hæc est propositio: ὁ λόγος *factus est homo*. 2. Quia voluit significare, τὸν λόγον factum esse non hominem *excellentem omnibus, omninò miseriæ expertem*, sed pauperem & contemtum, qui *caro* dicitur. 3. Quia voluit profunditatem & magnitudinem misericordiæ ὁ λόγος insinuare quòd sc. ille nostram salutem adeò appetiverit, & promovere voluerit, ut ex inexhaustâ misericordiâ suâ non gravatus fuerit assumere *contemnibilem* (coram mundo) *carnem*. Unde Theoph. hic sit ait: *Fortassis autem, quia caro à divinâ naturâ alienior est, volens Evangelista significare immensam Dei misericordiam, carnis meminit, ut ineffabilem ejus benignitatem, ob stupescamus, quod propter nostram salutem, alienum à naturâ suâ & omnibus modis peregrinum, carnem dico, assumpserit. Anima enim cognationem quandam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat: Et idcirco opinor, Evangelistam solo carnis nomine usum, non quòd anima expers sit assumtionis, sed ad majorem ostensionem mirandi & stupendi sacramenti. Nam si non assumsisset animam humanam Verbum incarnatum, incurabiles adhuc essent animæ nostræ. Quod enim non assumpsit, non sanavit &c.*

Resp. 4. Quòd attinet citata ab Enjedino dicta, si vel maximè in illis vox *carnis* notaret solam infirmitatem, an propterea sequeretur, quòd ita & hîc vox *carnis* sumatur? Deinde Heb.5.v.7. vox *carnis* nequaquam notat solam miseriam, sed ipsam carnem, miseris & ærumnis obnoxiam in statu inanitionis. Theoph. super istum locum ait: *Per dies carnis suæ, tempus, quo hîc vixit, vel dies, quos in vitâ hâc carnali transegit, significat: non quod nunc carnem deposuerit: nequaquam, retinuet enim eam, sed incorruptibilem ac superiorem carnalibus & inculpabilibus passionibus, nimirum fame, siti, labore, idq; genus aliis. Hanc autem loquendi formulam Apostolus à Davide desumsit, ubi dicit Psal.116.v.2. Et in diebus meis invocabo. Totum enim Psalmum ad Christum refert Apostolus.* Idem judicium sit de reliquis

reliquis dictis. Nam Heb. 2. v. 14. Filius Dei dicitur *particeps factus ipsius* (substantialis) *carnis & sanguinis* id est incarnatus est. Quod quidem negat, Enjedinus p. 166 hoc argumento: *quia aliàs hinc secuturum sit, quòd pueri sunt incarnati i. e. priùs exiterint, quàm nati fuerint, & deinde carnem assumserint.* Aft inquam ego, Enjedinus malitiosè sophisticatur, comparationem Apostoli nefariè torquens. *Tertium enim comparationis* non est ipse *modus* incarnationis, sed *veritas* carnis & sanguinis. Sic enim habent verba: *Postea quàm igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, & ipse* (*Filius Dei*, qui ex Psalm. 18. & 22. & Esa. 8. loquens introducitur v. 12. 13.) *similiter particeps* τῶν αὐτῶν eorundem. E. est quædam, non ὁμοιότης (quæ est accidentium,) sed ταυτότης identitas nostræ, & Christi carnis & sanguinis, & nisi ea esset, tunc nondum essemus redemti. Sic Col. 1. v. 22. per *carnem* non intelligitur ipsa afflictio, & cruciatus, & mors, quippe quæ nominatim & distinctè à carne & corpore discernitur: sed intelligitur ipsa vera carnis substantia. *At*, inquias, *illa priùs fuit indicata per vocem corporis.* Resp. Fuit quidem sic indicata, sed hæc non est evidens ratio, cur *carnem* hic ex classe *substantiarum* debeamus explodere, & in categoriam *accidentium* relegare. Nam sicut alibi, ita & hîc Paulus hebraizat. *Corpus carnis* ipsi est idem, atque *corpus carneum*. Gravi verò de causa *corpori* subjunxit vocem *carnis*, ut nempe doceret, Christi *corpus* nec unquam fuisse, *Spiritum*, nec pòst transmutatum esse in *Spiritum*, sed retinuisse suam *carneam substantiam*.

Porrò verba: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν: sic reddidit, p. 166. 167. *Verbum commoratum est, nempe post resurrectionẽ inter Apostolos. Non enim est alibi*, inquit, *conversatus. Act. 1. v. 7. & 10. v. 40 Vel etiam si referas illud ad aliud tempus, quo rejectus à suis Iesus, in diversis locis est cum Apostolis vagatus, non habens locũ, ubi reclinaret caput, nihil impedit.* Hęc ille, bis inprimis errans. 1. Dum, ἐν ἡμῖν, tantùm de *Apostolis* explicat. Etsi enim illi intelligantur: non tamen reliqui homines omnes & singuli excluduntur. 2. Dum tantùm refert istam ἐνανθρωπήσεως incarnati habitationẽ ad tempus *resurrectionis*, vel tantùm ad tempus, quo à suis *rejectus*, huc illuc, & hinc inde vagatus est. Simplicissima autem istius effari sententia hæc est: Verbum σκηνόω significat, *tabernaculum & tentorium figo*: sicut σκηνὴ notat *tabernaculum*. Quando ergò ὁ λόγος incarnatus, dicitur in nobis, seu inter nos *tabernaculum suum fixisse*, indicatur 1. Ejus *humiliatio*, quòd nempe dignatus sit inter nos miseros homines conversari, & propter nostram sa-

stram salutem, varias vitæ humanæ molestias in magnâ humilitate & paupertate experiri. 2. Indicatur hujus conversationis Christi *terminatio*. Quia enim tabernacula non sunt manentes & fixæ habitationes, nec sunt μοναὶ, mansiones, sed mobiles & terminabiles sedes; proinde non perpetuò Christus sic voluit nostro contubernio uti, nosterque contubernalis esse: sed statuto tempore *terrenum domicilium hujus tabernaculi deponere*, (ut loquar cum Paulo 2. Cor. 5. v. 1.) & *in gloriam suam intrare*. 3. Christi quoque *scopus* hoc ipso innuitur. Quia enim dux belli suum tentorium figit contra hostes suos, & parta victoriâ triumphat: ideo etiam Christus sic ἐσκήνωσεν, & debellatis nostris hostibus ascendit in cœlos.

Verba illa: *Et vidimus gloriam ejus*, sic exponit p. 167. *Vidimus ejus resurrectionem à mortuis, ascensionem in cœlum, Missionem Spiritus Sancti & Gentium conversionem. Quæ omnia non vulgaris sint Christi gloria, sed talis, quæ charissimum patris filium deceat.* Probationis loco allegat *Act.* 2. v. 36. & 3. v. 15. Heb. 2. v. 9. & 12. v. 2. Phil. 2. v. 8, Rom. 1. v. 4. Luc. 24. v. 25. Johan. 12. v. 24. Et tandem addit p. 168. *Et hæc est gloria illa, quam se Johannes cum suis condiscipulis vidisse affirmat. Quæ licet fuerit apud Deum ante jacta mundi fundamenta: tamen declarata est, & toti mundo patefacta post passionem mortis Christi.*

Resp. 1. Non sunt identica: *Gloria* Christi, unigeniti à Patre, & ejus *resurrectio* à mortuis: *ascensio* in cœlum &c. Nam gloria ejus fuit ab *æterno*, Johan. 17. v. 5. utpote quæ est ipsa divina majestas & adorabilis supereminentia. At resurrectio ex mortuis &c, non fuit ab *æterno*. Etsi ergò *gloria* Christi eluxerit *in resurrectione* ipsius ex mortuis, in *ascensione* ad cœlos &c, non tamen est *ipsa resurrectio* &c. 2. Quando Johannes de se & aliis affirmat, quòd viderint gloriam Christi, tum id nequaquam restringuendum est cum Enjedino ad solum tempus, passionem Christi subsecutum: Quia gloria Christi etiam *in statu inanitionis* ex ipsius miraculis innotuit, Johan. 2. v. 11. & 11. v. 4. & 40. ut & ex ipsius μετα μορφώσει & transformatione in monte excelso, Matth. 17. v. 12. &c. & 2. Pet. 1. v. 16. 17. 3. Quando Enjedinus ait, quòd ista gloria *fuerit apud Deum ante jacta mundi fundamenta*, tum id intelligit vel de solâ *prædestinatione*, vel de ipsâ *reali existentiâ*. Prius esse nequit; Nam Christus fuit & est Filius Dei *æternus*, ab æterno ex ejus substantiâ genitus, proindeque suæ infinitæ majestatis & gloriæ ab æterno non expers, sed

ejus

ejus revera consors, ut & ipse Christus docet Joh. 17. v. 5. E. posterius. E. Christus est *altissimus Deus*. Cui enim divina gloria & majestas *naturaliter* competit, eum oportet esse ipsum Jehovam: quippe qui suam gloriam alteri non vult dare, Esa. 42. v. 8. At Christo divina ista gloria & majestas *naturaliter* competit, quia est *naturâ* Filius Dei: siquidem est μονογενὴς παρὰ πατρός. Quod ut innueret Johannes, ideò non solùm dixit: *Vidimus gloriam ejus* (i. e. ipsius infinitam majestatem non quidem immediatè, sed mediatè, nimirum ex ipsius divinis effectis, &c.) sed etiam addidit: *gloriam velut unigeniti à patre*. Quod benè expendens Theoph. sic super hunc locum ait: *Spectavimus autem gloriam, non talem, qualem habebat Moses vel cum quâ gloriâ Cherubim & Seraphim prophetæ apparuerunt: sed talem gloriam, qualem decuit esse Unigeniti à Patre, quæ illi naturaliter inest. Nam velut hîc non similitudinis, sed confirmationis & determinationis indubitatæ verbum est. Sicut cum Regem videmus, cum gloriâ magna venientem, dicimus quòd velut rex prodeat, hoc est, quòd verè sit rex.*

Resp. 4. Dicta ab Enjedino citata, nullatenus probant, quòd hæc gloria sit ipsa Christi resurrectio, ascensio ad cœlos, &c. ut probat ipsorum pia consideratio.

Hisce præmissis, ponit tandem Enjedinus paraphrasin verborum, hactenus à se depravatorum. Cujus depravationes cùm in præcedentibus sint protritæ: statim considerabimus, quomodo p. 169. &c. conetur solvere contrarias objectiones. Quando ipsi objicitur, quòd Johannem faciat ineptum, Cùm illud: in principio: accipit pro prædicationis Evangelii, & baptismatis Johannis initio: quia hoc quilibet alias sciverit; nec magni quid Evangelista de λόγῳ dixerit si eum, vel cum docere cœpit, vel tempore prædicationis Baptistæ extitisse affirmet.

Respondet, *Johannem Hebraicæ sermonis proprietatem retinuisse, Ideoque quod in Græcâ, aut latinâ linguâ ineptum videtur, illud posse elegantiam & venerem orationis apud Hebræos habere*: Addit etiam, *Johannem dixisse, ἐν λόγον in mundo fuisse: quod tamen etiam homines sciverint, nec magnum quid sit.*

At, inquam ego, Johannis scopus principalis fuit demonstrare *Deitatem* Christi, ut constat ex Joh. 20. v. 31. Respectu igitur hujus scopi Johannitici, fuisset valde pusillum dicere, quòd Christus cœperit in initio prædicari per Johannem Evangelii existere. Hinc enim æterna Christi Deitas non adstructa, sed destructa fuisset. Deinde hoc

magnum quid est, quòd τὸν λόγον prædicat in mundo fuisse, nempe ut creatorem & conservatorem statim ab ejus initio.

Quando hæc verba : *Et verbum erat apud Deum*, ita explicat : *Et verbum Deo soli erat cognitum* : & explicationis hujus falsitatem nos inde ostendimus, quia *apud Deum esse*, non significet in Scripturâ *Deo esse cognitum* : Præterea quia falsum sit, quòd Messias tempore eo, soli Deo fuerit notus ; siquidem & notus fuerit Mariæ, Zachariæ, Elizabethæ, Josepho, & aliis multis : tum reponit Enjedinus p. 170. *ad prius se supra respondisse.*

R. At, inquam, & nos supra ad illud respondimus : Certè si *apud Deum esse*, significat *Deo cognitum esse* : E. omnes res ab æterno fuerunt apud Deum : quia ille ab initio omnia apera sua novit, Act. 15. v. 18. adeoque omnia simpliciter novit, Johan. 16. v. 30. & 21. v. 17. & 1. Joh. 3. v. 20. At nuspiã vel dicit vel docet Scriptura quòd omnes res ab æterno *apud Deum* fuerint seu extiterint : sed potiùs dicit. Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terrã.* Deinde, quia flagitiosos homines dicitur Dominus *non novisse*, Matth. 7. v. 23. & 25. v. 12. nempe notitiâ *specialis amoris & favoris* : nunquid illi propterea non erunt *apud Deum* ? Cùm tamen omnia in Christo consistant, Col. 1 v. 17.

Porrò ad posterius regerit p. 171. 1. *Paucorũ istorũ notitiam non impedire quò minus soli Deo cognitus fuisse dicatur λόγος in principio : quandoquidem usitatum sit Scripturæ, ut quoties paucos multis apponit, paucos in nullo habeat numero, imò ne esse quidem dicat.* Deinde ad exempla illorum, quibus dicimus Christum fuisse notum, variè excipit, ut ex responsionibus nostris patebit.

R. 1. Vel nescit, vel scire non vult Enjedinus naturam exclusivarum propositionum : quippe quæ ita comparatæ sunt, ut à subjecto vel prædicato cui particulæ exclusivæ appositæ sunt, illares excludunt, qui in illis non sunt nominati. Si ergò τὸν λόγον esse *apud Deum patrem*, significat, eum soli patri cognitum fuisse : ergo ipse nulli alii fuit cognitus. At & alius fuit cognitus. E. Nec obest, quod ait Enjedinus, S. Scripturam quoties paucos multis opponit, *paucos in nullo habere numero, imò ne esse quidem dicere.* Nam aliud est loqui *exclusivè*, aliud *synecdochicè* : Sic Christus dicitur à suis non receptus i. e. à pessimis Judæis rejectus, etsi quidam in cœtu Judæorum fuerint, à quibus receptus fuerit.

Resp.

Resp. 2. Veritati divinæ non conformiter, negat Enjedinus, quòd *Christus Iohanni fuerit in principio notus*; quia *id ipse testetur v. 33. & tempore suæ captivitatis ex carcere miseris discipulos suos ad Iesum, ut interrogarent, an ipse esset Christus, seu Messias Matth. 11. Quod videatur illius hæsitationem, non certam de Iesu πληροφορίαν significare.* At, inquam ego: Quomodo Jesus Baptistæ fuerit incognitus vel in principio? Cùm ipse, adhuc latitans in utero matris suæ, ob præsentiam matris Domini, præ gaudio exultârit, Luc. 1. v. 44. Spiritus S. igitur in eo peculiariter accenderat aliquam Messiæ notitiam. Et nonne Johannes ante baptismum Christi, eundem ùt Messiam cognovit? Id certè videre est, Matth. 3. v. 14. Quare cùm Johannes cap. 1. v. 31. 33. dicit: *Ego non noveram eum*: sensus est: Ego non noveram eum sc. *de facie*. Nec finis ablegatorum discipulorum Johanniticorum ad Christum, fuit, ut ipse Johannes demum Christum velut Messiam cognosceret, (quia is venerat, aquâ baptizans, ut Christus manifestaretur Israëli) sed ut discipuli Christum esse Messiam discerent. Ipse enim Johannes in carcere audivit facta (miraculosa) Christi Matth. 11. v. 2. & Christus ipsum celebrat, ut excellentiorem prophetâ, v. 9. qui viam Christo præparârit, v. 10. Nequaquam igitur nescivit, Christum esse Messiam.

℟. 3. Maria & Joseph non nesciverunt suum infantem esse Filium Dei: quia hoc uterque ipsorum didicerat ab angelo, Matth. 1. & Luc. 1. Nondum tamen e vestigio *omnia capita* hujus articuli plenè perceperant. Quò respicit Luc. 2. v. 33. 50. A negatione verò *plenæ & perfectæ* notitiæ Christi non licet progredi ad inficiationem *omnimodæ* cognitionis ejusdem. Secus nemo Christianorum asserendus esset Christum scire: quia nostra notitia in hoc seculo est imperfecta, 1. Cor. 13. v. 9. seq.

℟. 4. Non dicimus, quòd *omnes* propinqui Christi ipsum verâ fide receperint ùt promissum & exhibitum Mundi Messiam. Quare adversus nostram hanc sententiam non pugnant citati ab Enjedino loci, Marci 3. v. 21. &c. & Johan. 7. v. 3. &c. Nam ibi docetur, quod ipsius fratres & propinqui in ipsum non crediderint, sed potius eum in rabiem conversum esse, arbitrati fuerint. Verùm enim verò etsi multi tàm male erga Christum affecti fuerint: non nulli tamen eum fideli obsequio pro Messiâ agnoverunt.

℟. 5. Similiter respondemus ad Exemplum Apostolorum, qui

licet non statim *omnia* de Christo sciverint, sed multa adhuc *infirmitate* laboraverint: attamen post sui vocationem & conversionem sciverunt, *Christum esse Filium Dei Patris viventis*, Matth. 16. v. 16.

Quando contra explicationem horum verborum: *Omnia per ipsum facta sunt* i. e. *homines sunt renovati*: excipimus, quòd ibi non sit sermo de *novâ* creatione seu renovatione: sed *primâ* omnium rerum creatione: quia ubi S. Scriptura de novâ creatione loquatur, clare id exprimat: ubi autem simpliciter creationis faciat mentionem, ibi omninò, de veteris machinæ mundi constitutione differat. Cùm ergò hìc *simpliciter* dicantur *omnia facta*, hæc esse omninò accipienda de primâ creatione: tum reponit Enjedinus, *negando, quod semper expressè in Scripturâ novæ creationis fiat mentio, & quod de veteri creatione sit sermo, quoties simpliciter creationis vox sine additamento ponatur*: allegatque probationis loco, *Esa. 51. v. 16. Iacob. 1. v. 18. & Eph. 3. v. 9.* Negat etiam, *homines in V. T. fuisse renovatos: quia nova creatio cœperit tempore N. T.* verba ejus sic sonant p. 174. *At ego existo* (qui Enjedino objicit, etiam sub V. T. fuisse novam creationem & regenerationem) *libenter intelligerem, cur Christi corpus crucifigendum, & sanguis effundendus, vocetur N. T. si non tum primum facta esset nova creatio? Et cur Apostolus Heb. 9. dicat, Novi Test. mediatorem Iesum esse factum per mortem? Deinde confutet Apostolum, qui illud, quod Esaias 6. 43. v. 19. prædixerat futurum, ut omnia nova fierent, completum esse non antea, sed suâ ætate confirmat. 1. Cor. 5. v. 17. Et cur Christus ex Mariâ natus, novus autem Spiritus quidam ante Mariam existens, novus Adam dicatur, si non per ipsum regenerati, & novi facti sunt homines? Certè non, ut ipse imaginatur, alius aliquis author* (*vel potius Medium, 2. Corinth. 5. v. 18.*) *dicitur novæ creationis, quam ille homo, natus ex muliere, neq; antequam natus est ex virgine, sed postea quam docuit, & Spiritum S. misit &c.*

Rs. 1. Falsum est, quod Johan. 1. v. 3. sit sermo de creatione *secundâ*: quia sermo est ibi de creatione primâ à Mose descriptâ, ut constat ex v. parallelo 10. ubi Johan. ait: *Mundus per ipsum factus est.* Ubi si dicas, sermonem esse de creatione *secundâ*, seu renovatione, statim ex textu refutaberis: nam è vestigio addit Johannes: *Et mundus eum non cognovit.* At renovati cognoscunt Christum: sicut Paulus Col. 3. v. 10. homini novo tribuit ἐπίγνωσιν.

Rs. 2. Cùm ita simpliciter Spiritus S. loquitur de creatione *omnium*, & de creatione *mundi*, uti facit Johan. 1. tum intelligitur prima creatio.

creatio. Nec obstant loci ab Enjedino citati. Nam Esa. 51. v. 16. esse sermonem de creatione secundâ, non primâ, à Mose Gen. 1. v. 1. descriptâ, patet ex *tenore* ipsius verborum: Sic enim inquit Dominus: *Ponam verba mea in ore tuo, & in umbrâ manus meæ protegam te, ad plantandum cœlos, & fundandam terram.* De illâ igitur cœli plantatione, & terræ fundatione loquitur, quæ fit per *prædicationem Evangelii.* At creatio prima non fit per prædicationem Evangelii, sed jam olim facta est ab ipso Deo, sine operâ hominum. Sic & Apostolus Jacobus ait, cap. 1. v. 18. *Is volens progenuit nos, sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum*, i. e. ut ex Deo nati, ipsi simus consecrati, & ex aliis omnibus creaturis ipsi selecti & destinati. Porro Eph. 3. v. 9. sermo est de κτίσει τῶν πάντων, à Mose descriptâ Gen. 1.

R. 3. Falsum est, demum post ascensionem Christi in cœlos cœpisse hominum renovationem; quia 1. Omnis verè credens est renovatus: siquidem novitas vitæ est fructus fidei. At etiam in V. T. fuere credentes, v. g. Abraham, & similes. 2. Omnis verè justificatus est renovatus; quia renovatio est fructus justificationis. At & in V. T. fuere homines justificati, ut Abraham Gen. 15. David Psalm. 32. &c. confer Act. 15. v. 11. 3. Omnis regeneratus est etiam renovatus: quia regeneratio & renovatio inseparabiliter cohærent. At homines etiam sub V. T. fuere regenerati, seu spiritualiter circumcisi, Deut. 30. v. 6. &c. 4. Si nulli sub V. T. fuêre renovati: ergò nulli fuerunt filii Dei. Homo enim, vivens in vetustate carnis, seque variis flagitiis polluens, non est filius Dei, sed Diaboli. At multi fuerunt filii Dei, qui nempe fuerunt ex fide Abrahæ, Gal. 3. v. 7. &c. 5. Si sub V. T. nulli fuêre renati & renovati: E. Evangelium ibi apud omnes & singulos auditores fuit inefficax. Quod est falsum. Esa. 55. v. 10. 11. & Rom. 1. v. 16. 6. Nullus, qui est non renatus & non renovatus, potest ingredi in cœlestem Jerusalem; quippe cujus nihil, quod est immundum, esse potest particeps, Apoc. 21. v. 27. At etiam tempore V. T. multi sunt participes, redditi cœlestis Jerusalem, ut Enoch, Elias, &c.

R. 4. Contrariæ rationes Enjedini non militant: Non enim propterea sanguis CHRISTI dicitur *sanguis N. T.* vel CHRISTUS dicitur propterea *mediator Novi Testamenti*, quasi tum demum, quando ipse ascendit ad cœlos, cœperit nova creatio: sed quia N. T. distinguitur per sanguinem Christi *à veteri*, quod constabat san-

guine brutorum animantium. Et N. T. distinguitur à veteri etiam per hoc : Quòd hujus mediator fuerit *Moses* : hujus verò μεσίτης sit *Christus*. Nec dicti apud Esa. 43. v. 19. hic sensus est, quasi prorsus non fuerit sub V. T. nova creatio, seu regeneratio, sed prædicitur abrogatio veterum umbrarum, & præsignificatur, quòd in N. T. Evangelii prædicatio sit amplior futura, & ita apud plures gentes fructus salutares productura. Major igitur *gradus* beneficiorum Christi sub N. T. futurus innuitur. Sic & novitas nostra in cœlo beatorum erit *major*, teste Johan. in Apoc. 21. v. 5. inde tamen negandum non est, etiam ante temporalem mortem pios homines per Spiritum S. regenerari.

℟. 5. Falsum est, quòd non nisi homo (merus in Scholâ Enjedini) Christus sit author regenerationis & renovationis. Si enim ille tantùm homo esset, tum neque suâ virtute nos regigneret & renovaret : quippe quæ sunt opera ipsius altissimi Jehovæ : cui, ut authori, nostrûm conversio, regeneratio, & renovatio est adscribenda Jer. 31. v. 31. seq.

℟. 6. Denique falsum est, quòd Christus non sit author, sed tantùm *medium* novæ creationis : siquidem ille est *verus Deus*, 1. Johan. 5. v. 20. *super omnia benedictus in secula*, Rom. 9. v. 5. Quando autem 2. Cor. 5. v. 18. Paulus ait : *Deus* (Pater) *reconciliavit nos sibi per Iesum Christum*; tum præpositio *per* : non est nota causæ *instrumentalis* (nam & de Deo patre prædicatur, Gal. 1. v. 1.) sed sensus est : Deus pater, per Christum, ut suum *unigenitum*, sibique *consubstantialem Filium* & nostrũ *mediatorem* nos sibi reconciliavit.

Ex versu 14. ubi Christus dicitur μονογενὴς παρὰ πατρός, sic pro Deitate Christi probandâ, concludimus : Qui est *unigenitus* a Patre Filius, ille est ex *substantiâ* Dei Patris generatus, & proinde *aternus Deus*. Christus est *unigenitus* a Patre Filius. E. Major probatur ; quia μονογενὴς tantùm dicitur propter μόνην γέννησιν, propter *solam generationem*. Etsi autem sancti angeli sint filii Dei per *creationem*, & homines credentes per *adoptionem* ; nullus tamen vel angelorum vel piorum hominum dicitur μονογενὴς παρὰ θεοῦ πατρός ; quia eorum sunt *plures* ; nec ullus eorum est *ex substantiâ Dei* genitus : sed angeli sunt creati filii Dei, ùt & homines primi : qui deinde lapsi, istam filiationem perdiderunt, & proinde post lapsum, per verbum Dei & sacramenta divina fiunt & regignuntur filii D ℟ i.

Minor

Minor est in textu. Quid ad hæc Enjedinus? Regerit pag. 178. *quòd* μονογενὴς *non semper significet eum, qui solus & unicus est parentibus suis, aut peculiari modo generatus: sed sæpè tam apud prophanos, quam sacros scriptores, significet eum, qui cæteris filiis præfertur, & charissimus habetur. Ex prophanis ab ipso allegatur Iulius Pollux, Hesiodus, Hesychius, Suidas, Plutarchus. Ex sacris verò pag. 179. 180. allegatur Gen. 32. v. 2. & Heb. 11. v. 17. ubi Isaac dicatur* μονογενὴς *Abrahami, cum tamen & hic plures filios habuerit.* Quin & ipse adducit 1. Paral. 29. v. 1. & Prov. 4. v. 3. *ubi Salomon dicatur* μονογενὴς *parentum suorum: cùm tamen David, Pater Salomonis, plures filios habuerit, non tantùm ex diversis uxoribus & concubinis, verùm etiam ex matre Salomonis*, 1. Paral. 3. v. 5. Insuper addit, *quòd solus Iohannes Christum vocet* μονογενῆ: *reliqui autem Evangelistæ loco ejus, utantur voce* ἀγαπητῷ. *Ex quo appareat, hæc duo vocabula esse* ἀσυνωνύμως. Unde tandem concludit, *quòd Christus dicatur* μονογενὴς *patris non propter essentialem generationem, sed tantum propter eximium amorem, ut sensus sit Christus est* μονογενὴς *patris, i. e. omnium ei dilectissimus.*

Ad 1. Falsum est, quod μονογενὴς idem sit, atque ἀγαπητὸς. Nam Deus Pater *amatur* à Filio, ùt & Spiritus S. Nec tamen vel Pater, vel Spiritus S. dicitur μονογενὴς Filii. Nullibi dicitur Christus μονογενὴς πατρὸς, sed πατὴρ. Sponsus sponsam *amat*, & hæc illum, nec tamen Sponsus dicitur μονογενὴς sponsæ, vel hæc illius. Certè *amor* non est ipsa *generatio*: quia est & inter ipsos, qui se non generant. Imò sæpè est inter eos, qui quidem *generare* cupiunt, sed sunt ad generandum inhabiles, ut inter conjuges steriles. Vel sonus ipsius græcæ vocis: μονογενὴς, disertè docet, quòd non notet ἀγαπητόν. Componitur enim ex adjectivo μόνος, i. e. solus & unicus, & γένομαι nascor, generor. Quare μονογενὴς *dicitur propter* μόνην γέννησιν, solam generationem.

2. Filius unigenitus, & filia unigenita à parentibus amatur intensè. Hinc fit, ut omnis μονογενὴς sit ἀγαπητὸς? sed non vice versâ. Proinde, quando unigeniti dicuntur ἀγαπητοὶ fit denominatio non à re *simpliciter eâdem*, sed ab *adjuncto*. At adjunctum accedit præter essentiam ad suum subjectum. Amari igitur & amatum esse est distinctum ab ipsa *quidditate* τοῦ μονογενοῦς, unigeniti. Si quando ergò prophani scriptores τὸς μονογενεῖς, *unigenitos*, vocant ἀγαπητὸς, *dilectos*, tum epitheton illud est nota, *adjuncti accessorii*, non autem est *quidditatis* unigenitorum γνώρισμα. Unigenitus filius, quando degenerat, & evadit latro, &c. Tum non amplius diligitur, sed odio habetur. Non tamen desinit esse unigenitus, sicut cessat esse dilectus.

3. Falsum est, quod Heb. 11. v. 17. Isaac dicitur μονογενὴς ob *dilectionem*, non

non, *unicam generationem.* Nam Abraham non tantùm dilexit Isacum, sed & Ismaelem. Unde durè accepit, quòd Sara Ismaëlis ejectionem postulârit, Gen. 21. v. 11. Nec est, ùt dicas, quòd Isaac dicatur μονογενὴς propter *majorem* dilectionem. Nam μονογενὴς non notat comparationem *majoris & minoris*, sed notat *solitarium & unicum quid*, & sic est nota *exclusiva* Quare Isaac dicitur μονογενὴς Abrahami filius, tantùm propter μόνην γέννησιν, intellige ex *matre* Sarâ: quippe quæ non legitur plures filios Abrahamo peperisse, quàm Isaacum. Nihil igitur huic appellationi obstat, quòd Abraham ex aliis fœminis plures liberos susceperit. Non enim respectu Agaris, vel Ceturæ, sed tantùm respectu Saræ, Isaac dicitur *unigenitus filius* Abrahami: in quo solo *promissionem seminis* habuit, Gen. 21. v 12.

4. Falsum est, quòd Salomon, 1. Paral 29. v 1. dicatur μονογενὴς. David enim ibi sic ait: *Deus elegit* בְּנִי אֶחָד *filium meum unum.* Nec Prov. 4. v. 3. Salomon dicitur μονογενὴς Davidis, sed יְחִיד *unus.* At illa non sunt ἰσοδυναμικὰ, esse *unigenitum*, & esse *unicum*: quia illud est *speciale*: hoc *generale*, adeoque in Metaphysicis est entis in genere attributum *simplex.* Ibi nominatur γενεὰ *generatio*, intuitu cujus, ista *unitas* intelligitur: hic verò non apponitur quid *nominatim*, cujus respectu ista unitas intelligenda sit. Etsi igitur Salomon dicatur *unicus filius* Davidis, non tamen dicitur μονογενὴς. Quot modis autem aliquis dicatur יָחִיד *unicus*, dixi fasc. 3. dissert. theol p. 312. &c.

5. Elumbis etiam hæc ratio Enjedini est: *Christus à solo Iohanne dicitur* μονογενὴς: *à reliquis verò Evangelistis dicitur* ἀγαπητὸς. *E. ista duæ voces æquipollent.* Non enim appellationes, quæ *junctim* alicui attribuuntur, statim *identicè* ei assignantur: Etsi ergò *copulatè* Christus dicatur & μονογενὴς & ἀγαπητὸς, non tamen per ἰσοδυναμίαν sic dicitur. Nam Christus & Spiritus Sanctus est ἀγαπητὸς, & omnibus sanctis angelis, & piis hominibus: num verò vel Spiritus S. vel angelorum vel hominum dicitur υἱὸς μονογενὴς? Johannes autem solus Christum vocavit μονογενῆ: quia fuit longiori vitâ à Deo donatus, quàm reliqui Apostoli: Et ipsius etiam tempore suborti fuerant Cerinthus & Ebion, Deitatis Christi oppugnatores. Unde Spiritus S. per Johannem aliis vocabulis ἐμφατικωτέροις, majorem emphasin habentibus, voluit *Deitatem* Christi adstruere. Quæ cùm ita sint, manet nostrum argumentum inconcussum.

FINIS DISP. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0114
DFG

בעזרת

POSTHUMUS BEATI D. JUSTI FEURBORNII *ANTI-ENJEDINUS*,

SEU

VINDICATIONES LOCORUM SACRORUM,

Quæ corrupit

ENJEDINUS

Quarum

DISPUTATIONEM QUINTAM

PRÆSIDE

Viro Maximè Reverendo, Amplißimo atque Excellentißimo,

DN. PETRO HABERKORNIO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBL. FAMIGERATISSIMO

Ut & Paſtore ac Superintendente Giſſenſi Vigilantiſſimo, Domino, Patrono, Præceptore ac Hoſpite ſuo æviternùm devenerando.

Examini publico ſubjiciet

M. WOLFG. MELCHIOR Geiſſert/

HALÆ-SAXO.

Die 22. Januarii.

In Auditorio Theologico.

(1)

GIESSÆ HASSORUM,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typographi Ordinarii, M. DC. LIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0115
DFG

DOMINO AMITINO ET PATRONO SVO
OBSERVANTER COLENDO.

EXERCITATIONEM HANC THEOLOGICAM
DEBITI HONORIS

ERGO

CONSECRAT

M. WOLFG. MELCHIOR Gussius
HALA-SAXO.

Typis Josephi Dieterici Hampelii, Acad.
Typographi Ordinarii, M. DC. LIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767132041/phys_0116
DFG

BONO CVM DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII ANTI-ENJEDINI,

DISPUTATIO V.

Resp. M. WOLFG. MELCHIORE Stisser/ *Halâ-Saxone.*

CONTINUATIO VINDICATIONIS CAP. I. EVANGELII JOHANNIS.



DV. 15. excipit, *illorum sententiam, qui tam* ἔμπροσθέν μου, *quàm* πρῶτός μου *referunt ad tempus, non posse stare: quia* 1. *ut annotat Beza, nusquam in N. T.* ἔμπροσθεν *de tempore ponatur.* 2. *Quia certum sit, posteriori formulâ:* πρῶτός μου: *rationem reddi prioris dicti. At si dicamus,* inquit, *& illud* ἔμπροσθέν μου, *&* πρῶτός μου, *tempus significare: idem per idem probabitur. Proinde ipse utramq; formulam explicat de Christi dignitate & authoritate, ut sensus sit: Christus ante me factus, id est, præstantior habitus est ab hominibus: quia prior i. e. præstantior me erat.*

RE. 1. Si vel maximè utraque loquendi formula de Christi *dignitate* sic explicaretur: nihilominus tamen Enjedini explicatio non haberet locum. Nam ille præstantiam illam collocat tantùm in *rebus finitis*, tametsi majoribus. At Johannes, quando Messiam sibi præfert, tum fundamentum illius prælationis ponit in *ipsâ Deitate & officio*

Christi mediatorio, sicut videre est v. 1. &c. Hinc non dixit, *prior me est*, sed *erat*. Non enim demum in baptismo Christus cœpit Johanne præstantior esse; sed jam tum in initio (*creationis*) adeoque ante illud, Prov. 8. v. 24. & Col. 1. v. 17. ipso erat præstantior, ùt *æternus Deus*.

¶. 2. Falsum est, quòd ἔμπροσθεν nunquam de *tempore* in Scripturâ sumatur, ut tamen garrit Enjedinus p. 183. Nam 1. Paral. ult. v. 25. scriptum est: *Deus dedit Salomoni gloriam, qualis nulli Regum contigit* ἔμπροσθεν αὐτοῦ *i. e. ante illum*. Ubi sine dubio notat *tempus*. Sensus enim est, quòd in *antegressis seculis* nullus rex tàm glorioſus fuerit, ùt Salomon.

¶. 3. Ad absurdum de probatione ejusdem per idem, dico, illud hic non habere locum. Nam si illud ἔμπροσθέν μου explices de *tempore*, tum illud πρῶτός μου commodè explicari potest de *præstantiâ* (sed infinitâ & increatâ imprimis) sicut & alibi ista phrasis usurpatur, ùt Marc. 12. v. 29. & 1. Tim. 1. v. 15. Sin verò ἔμπροσθεν interpreteris de *dignitate & authoritate* (ùt & fit Gen. 48. v. 20. ubi de Jacobo dicitur, quòd *Ephraim posuerit* ἔμπροσθεν *& Manasse i. e. eum illi prætulerit*) tum πρῶτός μου (πρῶτος ponitur per enallagen gradus, pro πρότερος,) sine errore *de tempore* explicabis, ùt liquet ex v. 27. & 30. Sensus ergò minimè tautologicus erit: Christus prior me fuit *tempore* (adeoque æternitate,) quia me *dignitate* (ratione suæ *divinæ* naturæ & officii redemtorii, ad quod ante secula fuit destinatus) prior erat. Vel: Christus prior *dignitate* me fuit: Quia prior *tempore* (adeoque æternitate) me erat. Quid? si utramque formulam explices de *tempore*; tum τὸ ὅτι non est particula αἰτιολογική, sed δηλωτική. Sæpè enim *uberioris* assertionis & declarationis symbolum est.

Ad v. 16. excipiens operosè studet, ut hunc sensum diluat: *Omnes Prophetæ, & ego Baptista de plenitudine Christi accipimus. E. Christus extitit reipsâ, etiam ætate Prophetarum antiquissimorum.* Nam 1. inquit, *quæ argumento nobis persuadent, illa verba: nos omnes, de prophetis vetustissimis dici, ac non potius de hominibus, Baptistæ ætate viventibus, & illum, cùm hæc diceret, circumstantibus?* 2. p. 185. ait: *Hæc verba, non esse Baptistæ, sed Evangelistæ, neq; respicere tempus illud, quo Baptista docebat (tantò minùs tempora superiora,) sed quo ipse hanc historiam scribebat.* 3. *Illam explicationem conatur probare non tantùm authoritate Chrysostomi, Cyrilli, Erasmi, Calvini, Bezæ: sed & rationibus. Nam certè,* inquit, *opponitur hic Moses Christo, & aliud per Mosen, aliud per Chri-*

per Christum hominibus fuisse donatum, affirmatur. *At Moses erat Propheta. Si ergò per illud, nos omnes, intelliguntur Prophetæ, certè etiam Moses. Quod si ita est, sequitur necessariò, eum, qui ex plenitudine Christi hauserat, aliud enunciâsse, quàm Christum. Nam per Mosen aliud est datum hominibus, quàm per Christum. At quàm absurdum & indecorum sit, doctrinam eam, quam quis ab alio hauserit, ab illius, à quo hausit, doctrinâ, discrepare, quivis intelligit.* Hæc ille.

℟. 1. Sive per *τὸ nos omnes*: intelligantur V. T. sive N. T. homines: sive etiam sint Baptistæ verba, (quod longè probabilius est: quia ea cum v. 15. per *copulativam* conjunguntur: Et suborietur durius cula & inconveniens parenthesis, si præterito v. 15. demum cum v. 14. Johannis complicentur,) sive Evangelistæ Johannis, res ipsa tamen manet *eadem*.

℟. 2. Neque tamen rationes Enjedini, quibus nititur probare, quòd non Baptistæ, sed Evangelistæ sint verba, sunt efficaces. Nam etiam *Moses*, quicquid donorum Spiritualium & cœlestium habuit, de *plenitudine Christi* accepit. Vide Gen. 3. v. 15. seq. Johan. 1. v. 45. 46. & Act. 10. v. 38. Nec indistincte dicendum est, quòd Moses opponatur Christo. Duplicem enim ille sustinet respectum 1. *Legislatoris rigidi*, Johan. 1. v. 17. Atque sic Christo opponitur. 2. *Præconis Evangelici*: Et sic Christo non opponitur, quippe de quo, ut Salvatore mundi, est testatus, Johan. 1. v. 46. & de eo scripsit, Johan. 5. v. 46. Vide Gen. 3. v. 15. c. 12. v. 3. c. 22. v. 18. & Deut. 18. v. 18. Act. 3. v. 22. & 7. v. 37.

℟. 3. Simplicissimus propositionis Baptistæ sensus est hic: *Nos omnes* (sc. quicunque ab initio mundi salvati sumus, vel adhuc salvamur, & imposterum salvandi sumus,) *de plenitudine Christi accepimus*: de *plenitudine*, inquam, infinitâ & immensâ. *Placuit* enim *Deo Patri, in ipso inhabitare universam plenitudinem*, Col. 1. v. 19. *Ipsamq; totam Deitatis plenitudinem*, Col. 2. v. 9. Quæ etiam necessariò hic est intelligenda. Nam *finita & mensurata plenitudo* non sufficiens est nobis à peccato & morte, & Diabolo liberandis & æternùm salvandis. Siquidem hæc nostrûm redemtio & salvatio requirit *divinam virtutem*. Argumentum ergò est firmum: De infinitâ Christi Jesu plenitudine nos omnes accipimus, & gratiam pro gratiâ i. e. adepti sumus *gratiam* & benevolentiam Dei patris, pro *gratiâ* sc. Jesu Christi: quippe qui nos Deo *gratos* reddidit, Eph. 1. v. 6. & in quo illa *gratia* nobis ante secula

fuit data. 2. Tim. 1. v. 9. E. Christus est altissimus Jehovah, quippe cui sola ista *infinita plenitudo* competit. Papistæ ita explicant gratiam, id est, habitum dilectionis, pro gratiâ sc. promerendâ. Quæ explicatio pugnat cum Rom. 11. v. 6.

Ad v. 18. excipit p. 186. *nos inde duo elicere argumenta ad Christi cum Patre consubstantialitatem comprobandam.*

1. *Quia dicatur in sinu patris esse. Quo significetur naturæ unitas.* At, ait Enjedinus, *vanam hanc esse imaginationem: quia sit figurata phrasis, quâ notetur animorum conjunctio & amor, non autem essentiæ unitas.*

R. Quæ hæc est collectio: Alibi τὸ *in sinu esse*, notat *amorem*, non unitatem essentiæ. E. & hîc? Sanè hîc *notat* essentiæ divinæ unitatem (nihil enim est in Deo, nisi *essentia* ejus: & nulla creatura, per se subsistens dicitur esse *in sinu Dei*) & *connotat* amorem prorsus singularem, & arcanorum Deitatis omninò intimam & perfectissimam communicationem. Non igitur hîc notat *sinum corporeum & physicum*: Sed sumitur *tropicè, & spiritualiter*. Theoph. hîc ait: *Sinum audiens paternum, non suspiceris aliquid corporale de Deo. Evangelista enim volens nobis indicare, Filium Patri esse coæternum, ac verum & inseparabilem, hujus nominis mentionem fecit.* Λόγος alibi notat verbum evanescens. Ergone & Johan. 1. v. 14. Negatur. Sinus hîc denotat 1. conjunctionem personæ Patris & personæ filii in unam *Deitatem*. 2. Conjunctionem *amoris*. 3. Conjunctionem communicationis *secretorum*, εἰς τὸν κόλπον pro ἐν τῷ κόλπῳ. Existimat tamen Chemnitius, quòd Johannes istâ phrasi exprimere voluerit & essentiæ *unitatem*, & personarum divinarum *distinctionem*.

2. *Quia solus Christus hîc dicatur vidisse Deum, & aliis enarrâsse. Proinde quia Deus cognitus fuit veteribus patribus & Prophetis. Ergò illu quoq; Christus enarrârit, & sic extiterit reipsâ etiam ante Mariam.*

Respondet 1. *hîc non haberi, quòd solus Christus viderit Patrem.* At, inquam, hoc res ipsa requirit. Nam Christus voluntatem Patris nobis explicavit. E. priùs eam vidit & scivit: cùm sit in Patre, Johan. 14. v. 10. Solus Filius Patrem videt *visione totali*, conjunctâ cum ὁμοουσίᾳ. In hoc seculo nemo videt ipsam Dei οὐσίαν, adeoque non potest eam videre, 1. Tim. 6. In altero verò seculo videbimus ipsum, *sicut est*, 1. Joh. 3. *oculis nostris*, Job. 19.

Respondet 2. p. 187. *Falsum esse, quòd nulla unquam Dei cognitio fuerit apud*

rit apud homines, nisi ex enarratione Christi: quia id sit contra Apostolum, qui Heb. 1. v. 1. dicat, postremis hisce diebus (i. e. ætate Apostolorum) Deum esse locutum per filium. E. Christus in V. T. non fuerit interpres Patris. At, inquam, Apostolus vult, quòd in novissimis diebus Deus nobis sit locutus per Filium scilicet incarnatum. Secus & in V. T. per Filium (ἀόριστον) hominibus in prophetis est locutus, 1. Pet. 1. v. 11. Necimmeritò. Quæcunq; enim Pater facit, hæc similiter etiam Filius facit, Johan. 5. v. 19. Et tamen manet antithesis Apostoli, Heb. 1. v. 1. vera. Nam olim Deus locutus est per prophetas (in quibus Spiritus ἔνλόγος incarnandi fuit) jam verò per Filium, sc. exhibitum & incarnatum. At tempore V. T. nondum erat exhibitus & incarnatus, sed demum exhibendus & incarnandus. Unde reliquæ Enjedini nugæ p. 188. solvuntur.

3. Confugit ad verbum ἐξηγήσατο, quod significet, explicatiùs interpretatus est. Unde elicit, fuisse quidem Dei cognitionem sine Christi doctrinâ, sed tamen non ita explanatam diserte, ùt per Christum. At, inquam, cognitio illa Dei, quæ fuit in V. T. paulò obscurior, & illa, quæ in N. T. est clarior, junctim est à Christo. Quomodo enim in V. T. Deus Pater sine Christo, sui cognitionem hominibus dedisset? Cùm Filius sit ipsa Sapientia Patris, 1. Cor. 1. v. 24.

4. Tentat offuscare objecta sibi dicta, Matth. 11. v. 27. & Luc. 10. v. 22. & regerit, quòd Pater revelet sine Filio: quippe qui multis in locis affirmet, se non suam, neq; suam gloriam, sed Patris tantùm quærere, sui autem glorificationem (quæ magnâ ex parte in verâ ipsius cognitione constiterit) Patri quærendam reliquerit, Heb. 5. v. 5. & proinde sui præco non fuerit. Quin & porrò p. 190. & 191. addit, quòd Christus, utpote utens verbo præsentis temporis, γινώσκει, loquatur de illo ipso tantùm tempore, non de præterito aut futuro.

R. 1. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. At Dei revelatio est opus Trinitatis ad extra. E. est indivisa. Et proinde Christus prædicando Patris voluntatem, & suam & Spiritus S. etiam revelavit. 2. Quando Christus passim affirmat, se non suam gloriam, sed Patris quærere, Joh. 5. & 8. & Apostolus asserit, Christum à Patre esse glorificatum, Heb. 5. v. 5. tum sensus est, quòd Christus, ùt ἀνυπόκλητος, non venerit sine missione Patris cœlestis, sed ab ipso missus venerit, cujus gloriam etiam quærat, & à quo sit glorificatus, Heb. 5. v. 5. id est, gloriâ Pontificatus donatus. Non enim est Pontifex constitutus sine

vocatione Dei Patris, sed hic ipsum constituit, utpote ab æterno præcognitum, 1. Pet. 1. v. 21.

℟. 3. Etsi Christus utatur tempore *præsenti*, Matth. 11. v. 27. & Luc. 10. v. 22. tamen loquitur *de re*, quam etiam tempore V. T. hominibus communicârat: utpote qui est ipsa Dei *Patris Sapientia*. Sic de Christo Johannes in *præsenti* tempore dicit, quòd illuminet homines, Johan. 1. v. 9. neque tamen loquitur tantùm de temporibus N. T. Unde dicit, *Christum esse lucem, quæ illuminet omnem hominem venientem in mundum*, Johan. 1. v. 9. Atqui temporibus etiam V. T. per nativitatem homines veniunt in mundum, & adhuc veniunt in eum. Tantum de examine capitis 1. Johannis.

VINDICATIO *cap. 2. v. 19. & c. 10. v. 18.*

Hinc pro deitate Christi probandâ, sic colligimus:

Qui se ratione & respectu humanæ naturæ suscitavit à mortuis, & istam resuscitandi potestatem habet, ille est æternus & omnipotens Deus, Nam solus Deus altissimus illam potestatem, utpote infinitam habet, qui solus est Dominus vitæ & mortis; & qui homo tantùm est, spiritum à corpore egressum, revocare nequit, Sap. 16. vers. 14.

At Christus se ratione & respectu humanæ naturæ suscitavit à mortuis, & istam resuscitandi potestatem habuit & habet, vi istorum dictorum. E.

Majorem primò invadit Enjedinus p. 193. quam dicit *esse absurdam, & seipsam destruere: siquidem æternus Deus non possit mori. Quòd si verò sic dicamus; is cujus una pars alteram suscitat, est Deus æternus*: regerit, *& hanc propositionem esse falsam. Nam*, inquit, *præterquam quòd iste Deus erit compositus: etiam anima hominis alteram partem, corpus nempe, erigit & suscitat, ut cùm alia docent exempla, tum illa Ezechielis visio cap. 37. Neq; tamen hinc concludi potest, vel hominem, vel animam hominis esse Deum sempiternum.* Addit etiam, *Deum non habere corpus, sed esse spiritum.*

℟. 1. Deus neque moritur, neque mori potest sc. per se in suâ Deitate, quippe quæ est immutabilis. Interim quia Deus ὁ λόγος factus est caro, hujus suæ carnis passionem & mortem in unitate suæ personæ sibi realiter appropriat.

℟. 2. Nonnulli patres Christi personam vocârunt σύνθετον, *composi-*

compositam, in sensu sano & lato: quia subsistit in & ex duabus naturis, hypostaticè unitis. Secus quando rigorosè terminum *compositionis* accipimus, Christi persona non est composita ex partibus. Siquidem termini & partes componentes extra compositionem sunt Entia incompleta. At Deus & homo sunt Entia perfecta & completa. Tutissimumque est de tanto hoc pietatis mysterio loqui verbis divinis & *spiritualibus spiritualia accommodare*, ad præscriptum Pauli 1. Corinth. 2. vers. 13.

℟. 3. Anima non legitur, Ezech. 37. suum corpus resuscitâsse; sed ipse Deus vers. 5. &c, perhibetur mortuos revivificare, quippe qui Spiritum cum corpore rursus conjungit.

℟. 4. Deus non habet Corpus ita, ut hoc sit naturaliter membrum Deitatis: Absit! Deus enim est Spiritus carnem & ossa non habens. Interim Deus ὁ λόγος, quia *factus est caro*, Johan. 1. v. 14. & *particeps factus est carnis & sanguinis*, Heb. 2. v. 14. Hinc διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *per proprium sanguinem* dicitur *Ecclesiam acquisivisse*, Act. 20. v. 28. cum quo confer Heb. 9. v. 12. & 13. v. 12.

Cùm igitur sanguis humanus assumtus sit ipsi ἴδιος proprius, non quidem naturali sed personali unione & copulâ, dicendum non est, quod Deus ὁ λόγος, non habeat corpus, carnem & sanguinem humanum.

Nondum cessat Enjedinus Majorem nostram infestare, sed dicit: *Semper inter ἀδύνατα ab omnibus numeratum esse, Deum mori.* Adeoque asserit, *aliquos dixisse, Deum non posse mori, sicut non possit mentiri, & seipsum negare.*

℟. Hoc est adversus S. Scripturam & Symbolum Apostolicum, quæ sonorè testantur, Deum τὸν λόγον in carne suâ, non verò in suâ deitate, esse pro nobis passum & mortuum, sanè, quia *in deitate suâ* pati & mori non poterat, ideò ὁ λόγος *factus est caro*, ut *in carne* pateretur & moreretur. Hinc dicitur *mortificatus carne*, 1 Pet. 3. v. 18. & *passus carne*, 1. Pet. 4. v. 1. non dicit Petrus, in *naturâ inenarrabilis deitatis*. Vide Athanas. T. 1. pag. 276. & Cyrill. Tom. 2. Epist. 28. & Aug. T. 3. lib. de agone Christ. c. 23.

Jam transit Enjedinus ad nostram minorem, dicitque, *Christum sua vi ac potestate corpus suum non suscitâsse: quia nil queat à semetipso facere,*

Ioh. 5.

Ioh. 5. v. 19. & istam potestatem acceperit à Patre, à quo sit resuscitatus, & non à se ipso.

℟. Non sunt contradictoria: Christus *à semetipso* nihil potest facere, & *suâ vi ac potestate* corpus suum suscitavit. Nam quia est cum Patre unum, Johan. 10. v. 30. nihil ergò *à se*, scilicet tanquam à Patre *separato*, potest agere: quia *à se* non est, sed *à Patre*. Quare Christus statim addidit, Johan. 5. vers. 19. *Quæcunq; Pater facit, hæc & Filius ὁμοίως facit.* Et licet Christus uti deitatem, ita & divinam potestatem à Patre habeat: tamen illa deitas & potestas est *Christi*, adeò, ut verè dicas, Christum *suâ potestate* suum corpus suscitâsse. Nec sequitur: Pater suscitavit Christum. E. Christus se non suscitavit: quemadmodum non sequitur: Pater exaltavit Christum. E. Christus se ipse non exaltavit. Quando tandem Enjedinus dextrè intelliget, quòd opera Trinitatis ad extra sint indivisa, servato tamen Personarum divinarum discrimine, & distincto agendi modo?

Vindicatio *Ioh. 3. v. 13.*

Hinc pro deitate Christi sic concludimus: Qui propriâ virtute ascendit in cœlum, & in terrâ existens & loquens simul est in cœlo, is est Deus altissimus. Nulla enim creatura propriâ virtute ascendit in cœlum, sibiq́ue cœlestem beatitudinem & gloriam promeretur: nec simul & semel est in terrâ, & in cœlo, cœlestiq́ue & incomprehensibili majestate & gloriâ infinitâ. At Christus propriâ virtute ascendit in cœlum &c. E. (Ut dictum Johan. 3. v. 13. solidè explicetur, inquirendum est:

1. An vox cœli in unâ eâdemque significatione sumatur?
2. An notet cœlum beatorum in omnibus membris?
3. Vel an notet infinitam gloriam cœlestem?
4. An tum in primo membro sic etiam sumatur?
5. An ascendere sit locale?
6. An descendere sit incarnari?
7. Cur Christus loquatur in præterito?
8. An esse in cœlo significet omnipræsentiam in cœlo creato, & apud omnes creaturas?
9. Vel an esse in cœlo notet, in cœlo, τῷ λόγῳ ἀδιαιρέτως præsentem esse; ut ita sit sermo de præsentiâ intimâ.

10. Ad

10. Ad quod genus communicationis idiomatum pertineat hæc propositio: Filius hominis est in cœlo?

11. An ascendere in cœlum, saltem connotet, mysteria cœlestia capere?

12. An filius hominis sit vox personæ simplicis ὁ λόγος?

13. An cùm filius hominis dicitur descendisse de cœlo: sit propositio personalis: æquipollens huic: ὁ λόγος factus est caro?

Enjedinus variis modis excipit. Nam:

1. *Verba esse figurata*, ait p. 196. *quia filius hominis dicatur de cœlo descendisse. Quod ad humanitatem non pertineat: quippe quæ non sit ex cœlo delapsa, sed in utero Mariæ Virginis formata. Nec propriè de divinitate dici queat: quippe quæ propriè de cœlo descendere & locum mutare nequeat.*

Ad. De cœlo descendisse hic immediatè significat in assumtâ carne se *humiliâsse*. At Christus, ut *homo* se humiliavit. E. ad humanitatem Christi hic descensus pertinet. Athanasius & alii Patres per *descensum* hunc intelligunt inclinationem verbi ad vilitatem corporis nostri, & ipsam carnis nostræ assumtionem. Et sic pertinet ad ipsum Christum, ratione *Deitatis* & ad ipsum λόγον, quippe qui descendit de cœlo, & incarnatus est propter nostram salutem. Cave itaque *descensum localem* hîc intelligas.

2. Ait p. 196. *Deinde, qui illud (ascendit & descendit) propriè accipi volunt, vel hoc ipso confutantur, quod utraq; vox temporis est præteriti, ut textus græcus ostendit. At si istorum interpretatio esset vera, debuisset Christus priorem vocem in futuro tempore proferre, nondum enim Christus ascenderat localiter in cœlum, sed tantùm descenderat. At Christus dicit, filium hominis, & jam antea ascendisse, & tum quoq; esse in cœlo.*

Ad. 1. Ascendere in cœlum hîc non notat *localiter & visibiliter* ascendere in cœlum, sicut Christus redivivus post 40. dies in cœlum ascendit; sed notat, *evehi in cœlestem beatitudinem & gloriam*. Cœlum nobis peccatoribus ob peccatum erat clausum. Christus igitur dicit, neminem (ab initio mundi) ascendisse in cœlum, quia nullus se ipsum à peccato liberare, & ad cœlestem beatitudinem evehere unquam potuit. Christus igitur solus est via, quâ ad Patrem venimus, Johan. 14. v. 6. Quare Christus utitur verbo præteriti temporis: ἀναβέβηκεν: ut indicet 1. humani generis jam inde *à tempore lapsus* protoplastorum corruptionem & pravitatem, propter quam nemo hominum unquam

potuerit ascendere, vel actu ipso ascenderit in cœlum: quia peccatum deprimit in infernum. 2. Meriti sui efficaciam, quæ tanta sit, ut se antrorsum etiam ad tempora V.T. extenderit, in quibus quicunque homo in cœlum ascendit, is non nisi virtute & merito Christi cœlesti illâ scalâ, quam Patriarcha Jacobus vidit, in illud ascendit. 3. Identitatem salvationis : quod nempe & in temporibus præteritis homines venerint in cœlum, non alio, sed uno eodemque Salvatore, Christo, Act. 15. v. 11.

2. Textus ad literam non dicit, quòd Christus jam antea ascenderit in cœlum: colligitur tamen ex illo, Christum unum esse, qui viam ad cœlum aperuerit, & nos non nisi per ipsum in cœlum ingredi posse.

3. Taceo, quòd Photiniani sibi ipsis contradicant. Nam volunt, Christum bis propriè ascendisse in cœlum. 1. Ante mortē. 2. Post mortem & resurrectionem. Priorem ascensum ex hoc etiam Christi dicto volunt probare. Quare hâc stante hypothesi verbum ἀναβέβηκεν, ipsi propriè accipiunt. At hîc Enjedinus nititur ex isto verbo probare, quòd sermo sit figuratus.

3. Regerit Enjedinus p. 197. *receptissimam hujus dicti explicationem esse hanc: quòd nempe ascendere in cœlum, hîc nihil sit aliud, quàm rerum divinarum & cœlestium mysteriorum esse conscium: descendere verò de cœlo, sit incarnari, seu hominem fieri. De prioris sententiæ explicatione* tacet : *posterioris verò exegesin* dicit *esse falsam: Quia 1. filius hominis dicatur descendisse. E. homo jam tum factus descendit. Et proinde descensus distinguitur ab incarnatione: secus hæc tautologia suboritura esset: ipse homo descendit i.e. factus est homo. 2. Quia prius sit esse, quàm descendere. Filius hominis igitur prius extitit, quàm descendit. At,* inquit Enjedinus, *Christus, ipsis quoq; adversariis confitentibus, non fuit neq; dictus est, neq; dici potuit filius hominis, priusquam conceptus & natus esset in utero virginis. Hic verò intelligitur filius hominis prius extitisse, quàm descenderit, id est, ut ipsi affirmant, incarnatus sit. Falsum igitur est, per filium hominis, hîc intelligi Spiritum quendam, aut secundam deitatis personam; hæc enim à Deo Patre erat adhuc tantùm genita: ideoq; dici nullo modo, cùm non esset filius hominis potuit aut debuit.*

Rr. 1. *Ascendere in cœlum*, hîc non notat, cœlestium mysteriorum esse conscium: secus sequeretur, quòd descenderet de cœlo, sit, cœlestium mysteriorum esse inscium: quia ascensus opponitur descensui, &

hîc

hic illi. Deinde *ascendisse in cœlum*, est actus præteritus & cessans. Rerum verò omnium notitiam habere: pertinet ad actum præsentem. Tum etiam, pii in hoc etiam seculo viventes, sunt ex revelatione divinâ rerum cœlestium conscii, nec dum tamen ascenderunt in cœlum.

2. Descendere de cœlo hic notat *immediatè*, in assumtâ carne sese *humiliare*: & prærequirit incarnationem. Neque tamen Enjedino concedi potest, quòd Christus non dictus fuerit Filius hominis, Psal. 8. & Dan. 7. propter certò futuram incarnationem, & identitatem personæ. Et quia ista Persona descendit, ergo ante istum descensum verè extitit, adeoque ab æterno fuit, utpote Spiritus æternus. Plus justo hoc mysterium non est excutiendum. Continet enim & illa, quæ homo vivus capere non potest.

Tandem Enjedinus suam hanc explicationem addit: *Nemo ascendit in cœlum i. e. cœlestia mysteria capit & intelligit: nisi qui descendit de cœlo, i. e. nisi qui cœlitus est illuminatus & regeneratus, (ut solus Christus, præter quem nulli alii erant regeniti: nondum enim erat Spiritus S. Ioh. 7.) Filius hominis, qui est in cœlo, i. e. intelligentiâ & cognitione rerum cœlestium fruitur.*

R. Mirabilis exegesis! Nam hic ascensus opponitur descensui. Si ergò ille notat rerum cœlestium cognitionem: tum hic notabit earum ignorationem. Quod ἄτοπον.

2. Christus est expers regenerationis: quia hæc est credentis hominis ex statu iræ in statum gratiæ translatio, & complectitur remissionem peccatorum. Quare regeneratio Christo non competit: Descensio a. de cœlo, ipsi competit. E. differunt.

3. Falsum est, quòd eo tempore, quo Christus cum Nicodemo colloquebatur, nulli alii homines fuerint regenerati: quia secus tum nulli alii fuissent filii Dei per fidem. Regeneratio enim est adoptio hominis credentis in filium Dei. Nec obstat huic sententiæ dictum illud Christi Joh. 7. v. 39. Loquitur enim *de visibili* Spiritus S. effusione, quæ tum nondum facta erat, sed futura demum erat in festo Pentecostes.

4. Multi pii etiam in hâc vitâ fruuntur rerum cœlestium cognitione: neque tamen actu ipso sunt in cœlo. E. *esse in cœlo*, hîc notat, esse *in cœlesti majestate & gloriâ*, propter unionem hypostaticam, & participatam carni deitatem, ùt ait Augustus.

VINDICATIO *Joh. 5. v. 17.*

Hinc pro deitate Christi sic colligimus: Qui Deum verè agnoscit & dicit suum ἴδιον Patrem, & jam inde à creatione mundi incessanter cum ipso, in totâ rerum creatarum universitate gubernandâ, & collapsâ restituendâ, operatur; ille est Deus altissimus. Nam qui Deum sibi verè habet Patrem ἴδιον, ille est Deo ἴσον, vel fatentibus Judæis ipsis, v. 18.

Et universalis sustentatio & gubernatio mundi, est actio divina, quæ verè arguit Deum: quippe qui sicut solus creavit mundum: ita illum creatum solus omnipotenter conservat & moderatur.

At Christus DEUM verè agnoscit & dicit suum ἴδιον Patrem, &c. E.

Enjedinus excìpit p. 200 1. *Non esse hîc Christo propositum se extollere, & divinitatem, aut æqualitatem cum Deo sibi arrogare (ut pateat ex v. 30. 31. 32. & ex reipsâ: quia Sabbati violatio quæ hominibus etiam permitti soleat, Iohan. 7. v. 23. & Matth. 12. v. 5. &c. deitatem non probet,) sed suum factum excusare: utpote quod ediderit non proprio instinctu & authoritate, sed Dei Patris, tanquam præcipui authoris hujus miraculi.*

Ad. 1. Falsum est, quòd Christo propositum non fuerit, suam deitatem probare: quia enim Judæi eum tantùm esse *hominem* reputabant, simulque hunc errorem fovebant, quòd quia Deus die 7. requievit, nihil operis in die Sabbati sit peragendum: proinde probat, Deum esse suum ἴδιον *Patrem*, qui sicut die 7. quieverit à condendis novis creaturis: ita non cessârit ab iis gubernandis, & collapsis restituendis, sed *usq; nunc operetur, & ipse (usq; nunc) operetur.* Non ergo à sabbati violatione, quæ est peccatum, argumentatur, sed *à divinâ providentiâ & operatione generali continuâ*: cujus exemplum aliquod ostenderat in hominis istius ægroti sanatione, quæ Patri & Filio (atque Spiritui S.) competit exæquo, sine ullâ ἐξοχῇ: & proinde Deus Pater non est dicendus ejus præcipuus author. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadem & Filius ὁμοίως facit, Joh. 5. v. 19.

Ad. 2. Neque v. 30. 31. 32. hunc Christi scopum perimunt: sed vocationem & missionem Christi legitimam adstruunt. Quia enim Judæi calumniabantur Christum, quasi non haberet à Deo rectam vocationem, ideò Christus dicit: *non quæro voluntatem meam* (scilicet *diver-*

diversam & discrepantem à voluntate Patris, cujus missione caream,) *sed voluntatem ejus, qui misit me Patris. Si ego testimonium perhiberem de me ipso, testimonium meum non esset verum*, nempe secundùm opinionem Judæorum. Vide J h.8. v.14.&c. Repetatur igitur & hic regula Theologica : *S. Scriptura quand q; videtur aliquid negare ἁπλῶς, cùm tamen duntaxat id neget πῶς, modo quodam, & certo respectu ac restrictione.*

2. Enjedinus nititur hanc nostram dicti Christi exegesin retundere : *Pater meus usq; nunc operatur* h. e. *jam inde à creato mundo, sine ullo dierum aut temporum discrimine*, operatur, non novas creaturas *condendo*, sed jam creatas *conservando, renovando & gubernando*. Quam rem quidem *concedit* : sed eam hujus dicti esse genuinam interpretationem *negat : siquidem pugnet cum scopo Christi, qui non locutus sit de creatione (secus extra oleas vagatus fuerit,) sed de miraculosâ operatione, in sabbato factâ : quam neget esse peccabilem : quia & Patris sit, qui expers sit peccati.*

℟. Nego istam pugnam : quia Christus à genere ad speciem procedit, hoc modo : *Pater meus usq; nunc operatur* (scilicet *generaliter*, & proinde etiam *miraculosè* sanavit hunc hominem ægrotum,) *& ego (usq; nunc) operor*. Verbum enim *operari* hîc non tantùm notat miraculosè operari, sanando hominem ægrotum : sed & operari in genere *usq; nunc* i. e. jam inde à condito mundo. Ubi tamen non statim curavit homines ægrotos, quippe, qui ante lapsum non fuerunt. Cur ergò Enjedinus verbum *operari*, quod Christus ponit sine limitatione, explicat tantùm per τὸ sanare hominem ægrotum ? Num enim *operari* statim est ægrotum hominem sanare ?

3. Negat Enjedinus, *ex hâc Christi cooperatione cum Deo, æqualitatem, aut æternam divinitatem elici : siquidem & Apostoli vocentur Cooperarii, seu adjutores Dei, 1. Cor. 3. v. 9. neq; tamen hinc quisquam colligat, Apostolos & Deum esse æquales, consubstantiales, Deos æternos &c.*

℟. Crassa fallacia parium ! Nam Christus loquitur de divinâ operatione generali continuâ *æquali* : Apostolus verò disserit de divinâ operatione speciali *inæquali* : quia Apostoli ùt ministri, & quidem non suâ, sed Dei virtute in ministerio Ecclesiastico cooperantur, uti constat ex 1. Cor. 3. At Christus quæcunque Pater facit, illa eadem agit ὁμοίως, proindeque non ἀνομοίως.

4. Corrumpit genuinum sensum particularum ἕως ἄρτι, *quas* dicit *non notare initium creati mundi : sed tempus illud, quo cœperit Christus mi-*

racula edere: siquidem istæ particulæ distinctè usurpentur pro principio cujusvis rei, de quâ sermo habeatur, ut Matth. 11. 12. Iohan. 16. 24. 1. Corinth. 15. 6. & 1. Iohan. 2. 9.

R. Particulæ ἕως ἄρτι, testibus omnibus græcè doctis notant *usq; nunc*, seu *usq; adhuc*: & sic continuatio quæpiam rei, de quâ affirmantur, iis innuitur, simulque initium aliquod attenditur. Jam verò hæ particulæ de operatione Dei Patris generali hîc prædicantur: quæ non demum cæpit tempore ministerii Christi, sed jam inde ab *initio conditi mundi* fuit: Quare citata testimonia nobis non officiunt: sed potiùs ostendunt, quòd eæ particulæ initium temporis continuati notent: tametsi non idem omnino temporis principium ubique designent.

VINDICATIO *Joh. 5. v. 18.*

Ex hoc loco sic concludimus 1. Deus Pater est Christi ἴδιος Pater: unde & ipse ejus est ἴδιος Filius, teste Paulo, Rom. 8. v. 32. E. non est ejus Filius per creationem, vel adoptionem: quippe cùm & illa, & hæc sit communis ipsis sanctis Angelis & hominibus: sed per æternam ex Patris substantiâ generationem; & sic est *æternus* Deus. Oportet enim hujus ἰδιότητος dari eam rationem, quæ soli Christo competat & aliis non sit communis: sicut ἴδιον opponitur κοινῷ.

2. Sic argumentamur: Christus est Deo Patri ἴσος. E. & est altissimus Jehova: quia divina ἰσότης prærequirit ὁμοουσίαν divinam.

Regerit Enjedinus p. 204. 1. *non esse opposita immediata: adoptionem & naturalem generationem, ut uno remoto, alterum necessariò poni debeat.*

At, inquam ego, nos non tantùm à remotione filiationis per adoptionem, sed & per creationem, omniumq; cæterorum modorum, qui vel fingi possunt, destructione procedimus ad ponendam filiationem *per æternam generationem.* Christus enim est ἴδιος Filius Patris. E. oportet rationem istius filiationis dari, quæ Christo sit *propria*, & eum non egrediatur: quæ alia esse nequit, quàm æterna generatio ex substantiâ Patris.

2. Ait, *istam rationem posse esse, quòd Christus conceptus sit de Spiritu S. natus ex Mariâ virgine, donaq; & officium præstantissimum supra omnes creaturas consecutus, & Spiritu S. sine mensurâ exornatus sit: quæ nulli alii, præterquam Iesu competant.*

R. A-

R. At, inquam ego, hæ non sunt genuinæ rationes, cur Christus sit ἴδιος Filius Patris. Nam & talis fuit in V. T. adeoque ab æterno, Prov. 8. & 30. & Psalm. 2. & Mich. 5. cùm nulla ex recensitis rationibus adhuc dum locum haberet. Filiationis hujus causa non est 1. *Conceptio* de Spiritu S. secus Christus foret Filius Spiritus S. quod negat S. Scriptura. 2. Neque *nativitas* ex Mariâ virgine: quia est ipsius Dei Patris ἴδιος, Filius ἴδιος ab æterno. 3. Nec *officium*: quippe quod ejus, qui ex generatione à Patre est Filius, demum est sive effectum, sive adjunctum. 4. Nec *datio Spiritus S. sine mensurâ*: quia & hæc demum in tempore cœpit. Filius verò fuit ante secula.

3. Garrit, *causam, cur Filius Patrem voces ἴδιον Patrem, posse esse amorem singularem.* At, inquam, & hæc causa est falsa: quia Christus dicitur μονογενὴς, unigenitus. Ergo non *unica dilectio*, sed *unica generatio* est ejus causa: dilectio tamen est conjuncta, non sejuncta.

Ad 2. argumentum 1. excipit, *ex æqualitate non posse coëssentialitatem Dei & Christi evinci: quia illa non nisi secundùm accidentia dicatur, nec identitatem, sed pluralitatem indicat: quia nemo sibi ipsi sit æqualis.*

At, inquam ego, vocabula, ex *naturâ* desumta, cùm de Deo prædicantur, purganda priùs sunt, à suâ *imperfectione*, quàm Deo applicentur. Vox igitur *æqualitatis* non hîc notat istam imperfectionem Philosophicam, sed divinam, i. e. perfectissimam æqualitatem. Nec hæc æqualitas pluralitatem *essentiæ* invehit, sed *personarum*. Quia ergo Filius est Patri æqualis, non potest illorum una tantùm esse persona, sed duæ: Spiritus S. autem est persona tertia.

2. Excipit p. 206. *hîc æqualitatem non essentiæ, sed operationum & accidentium intelligi*, v. 18. 21. 26. *Et fontem hujus æqualitatis esse Patrem, à quo cùm vitam suam Christus acceperit; propterea eum Patri non posse esse coessentialem Deum.*

At, inquam ego, 1. hæc *divina æqualitas* non est accidens philosophicum, quod non cadit in Deum, sed supereminet eam, & ab ὁμοουσίᾳ divinâ non potest divelli. Quod hinc constat: quia nulla *creata persona* dicitur Deo æqualis; siquidem Deo non est ὁμοούσιος. Crassa ergò fallacia oppositorum est hæc: Æqualitas Patris & Filii consistit etiam in *operando*. E neque includit unitatem *essentiæ divinæ*. Quomodo enim hanc non includat, cùm sit Filius Patris proprius, à quo *vitam divinam*, quæ est οὐσία divina, habet? 2. Nec sequitur: Filius à

Patre

Patre habet vitam. E. Patri non est coëssentialis Deus: sicut non sequitur: Salomon à Patre suo Davide habet vitam humanam. E. non est homo, Davidi coëssentialis. Ubi tamen hæc differentia notanda est: quòd οὐσία Dei Patris & Filii sit una numero i. e. simplicissimè & exquisitissimè una & eadem: Davidis verò & Salomonis οὐσία humana non sit una numero, sed specie. Quæ latius vide explicata, Fasc. 3 p. 144. &c.

VINDICATIO *Joh. 5. v. 19.*

Hinc fluit tale argumentum: Si quæcunque Pater facit, hæc eadem & Filius facit ὁμοίως: Ergò filius non demum cœpit existere in Mariâ virgine (quia Deus Pater jam inde ab initio mundi operatus est,) sed jam tum, ab initio, adeoque ab æterno extitit Patri suo ὁμοούσιος & ἴσος. Nam divina actio, ejusque πανομοιότης & ὁμοιότης verè arguit & ostendit divinam ὁμοουσίαν & æqualitatem, utpote à quâ fluit. At, prius est. E.

Regerit Enjedinus 1. p. 208. *vocem ὁμοίως non invehere æqualitatem, multò minùs identitatem: quia simile non sit idem: & possint plures similiter operari, qui tamen inæqualibus viribus sint prædicti.*

R. Distinguentũ est inter ὁμοιότητα *summam* seu absolutissimã & *imperfectam*. Illa sub se comprehendit æqualitatem: non hæc. De hâc sunt vera, quæ profert Enjedinus. De illâ autem loquitur Christus, quia est Patri suo ἴσος v. 18. Quare ὁμοίως hîc significat ἴσως, *pariter*: secus Christus agit à Patre, non à se (quia à Patre est genitus.) Pater verò non agit à Filio, sed à se ipso. Et paulò pòst ipse Enjedinus concedit, ὁμοίως Bezam rectè vertisse *pariter*.

2. Excipit, *Christum dicere, quod eadem & ipse faciat, quæ Pater. Quo significetur: Patrem non operari sine Filio: sed ejusdem effectus seu operis causas esse tam Patrem, quàm Filium.*

Postea verò pag. 209. sibi contradicens, ait, *ea, quæ Filius facit, non esse ipsi tribuenda, sed præcipuè Patri, & ita comparatione parium derelictâ, ponit comparationem imparium.* Quam retundit vox ἴσος v. 18. & particula ὁμοίως v. 19. Quomodo etiam Pater præcipuè dici queat operari, cùm ille non sit præcipuus seu principalis Deus, sed ipse & Filius (& Spiritu S. 1. Joh. 5. v. 7.) sint *unum*, nempe *essentiâ*, Joh. 10. v. 30?

3. Excipit p. 209. *Etsi Filius eadem, quæ Pater facit, faciat similiter, non ta-*

non tamen utriusq; æqualitatem inde posse probari : quia 1. *non sit universalis Christi assertio, quasi nihil unquam fecerit, faciat, aut facturus sit Filius : siquidem tantùm loquatur de miraculis sui temporis.* 2. *Quia cooperarii non idcò statim sint pares &c.*

R. Prima ratio est falsa, & apertam vim facit textui, qui generalis est : *Quæcunq; Pater facit, ταῦτα καὶ, eadem & Filius facit pariter.* Quare solus sensus non est hic : Quæcunque in N. T. miracula facit Pater, eadem & Filius facit : sed & in genere loquitur de *omnibus* Dei Patris operibus, teste v. 17. & cap 1. v. 3. Et certè, quia Filius est δύναμις Patris (quâ ille ab æterno non fuit destitutus, sed eam verè habuit) 1. Cor. 1. v. 24. Proinde quæcunque unquam vel egit, vel agit, & aget Pater, illa non nisi per Filium suum egit, agit & aget : quia non citra, sed per suam δύναμιν operatur. Secunda ratio est aliena. Christus enim cum Patre agit ὁμοίως καὶ ἴσως, ùt æterna sua virtus & sapientia. At Apostoli dicuntur Dei συνεργοὶ, 1. Cor. 3. v. 9. non ὁμοίως καὶ ἴσως, sed ἀνομοίως καὶ ἀνίσως : quia *neq; qui plantat, est aliquid* (sc. ex se, & suis naturalibus viribus) *neq; qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus*, v. 7. Sunt igitur Apostoli tantùm instrumenta Dei, per quæ Deus agit. At Deus Pater agit per Christum, non tanquam per instrumentum (quippe quod est inferius suâ causâ principali, si libet ἀκολογεῖν) sed ùt per suam sapientiam & virtutem & unigenitum ac proprium Filium.

VINDICATIO *versiculi* 23.

Hinc fluit hoc argumentum : Idem divinus honor tribuitur Patri & Filio. E. Filius est Patri coëssentialis & æqualis. Divinus enim honor idem, non nisi altissimo Jehovæ debetur.

Regerit Enjedinus p. 209. 210. 211, *voculam : sicut : non significare omnimodam æqualitatem, sed similitudinem quandamcunq;, etiam cum graduum inæqualitate ; esse ejus magis copulativam, quàm comparativam : siquidem & v. 21. Christus dixerit : sicut Pater vivificat mortuos, sic & filius quos vult vivificat : & tamen ille vivificet suâ & propriâ, hic verò acceptâ virtute : & proinde inæqualiter. Quin etiam addit, quòd Christus velit Apostolos similiter honorari, atq; se, cùm dicat, Matth. 10. v. 40. Qui vos recipit, me recipit : neq; tamen Christus & Apostoli idem sint.*

R. Hæc profecta sunt ex Scholâ veterum Arianorum, jam olim à Cyrillo in Joh. lib. 2. c. 141. protrita, ubi eleganter ad objectio-

nem istam respondet per distinctionem significationis vocis, *sicut*; *Quando*, inquit, *dicitur* (*sc. sicut*) *de rebus diversis, ac naturâ differentibus, tum non æqualitatem, sed similitudinem significat. Quando autem de iis dicitur, quæ ejusdem naturæ sunt, tunc ultimam similitudinem, imò identitatem & æqualitatem ostendit, &c.* Cùm ergò Christus priùs probârat, se esse *naturâ* Deum, (cùm habeat Deum *Patrem ἴδιον*, eiq; sit *æqualis*, & omnia cum ipso *pariter* agat,) exinde infert identitatem & æqualitatem honoris: & proinde est Deus altissimus. Nec ista illatio valet: Deus Pater *propriâ virtute*, Filius v. agit *virtute, à Patre acceptâ*. E. hic non agit suâ propriâ virtute: & proinde Pater & Filius agunt *inæqualiter*. Nam est elenchus oppositorũ, siquidé divina virtus est Filii *propria*, & tamen ei à Patre *communicata*: & agunt illi ὁμοίως i. e. ἴσως. Quod autẽ attinet Christi dictũ Matth. 10. v. 40. ibi eundem & æqualẽ honorem sibi & Apostolis non adsignat, sed docet, quòd quia Apostoli sint à se missi, ideò quicquid sive boni sive mali ipsis ab hominibus sit expectandũ, & quod etiã susceperi sint, id sibi ipse sit imputaturus. Legato enim sive decus, sive dedecus illatum redundat ad Dominum legantem & mittentem.

Vindicatio v. 27.

Unde sic colligimus: Deus Pater Christo, ὅτι Filius hominis est, dedit potestatem judicium faciendi. E. est in Christo, præter humanam naturam, & divina: siquidem vocula, ὅτι, hìc Christum sic innuit, ut eum respectu alicujus suæ partis indicet. Nec divina ista ἐξουσία faciendi universale judicium competit ulli suppositο, quod non est ipse Deus: siquidem includit omnipotentiam & omnisapientiam, & cordium inspectionem & cognitionem; Adeoque complectitur totam regni Messiæ administrationem, quæ est ipsius Jehovæ, uti videre est Jer. 23. v. 5. & 33. v. 15. & Psalm. 72. v. 1. sicut & aliàs verbum Hebræum, שָׁפַט, notat gubernavit, Jud. 3. v. 10. & passim.

Regerit Enjedinus 1. p. 212. *vocem, ὅτι, nunquam significare, quatenus.* Qui si attendisset, hìc rem ipsam potiùs, quàm apices vocis spectari, hoc non impugnâsset. Nec insolens est, voculam, ὅτι, poni pro καθότι id est, *quatenus, in quantum*: ita ut etiam hìc sit particula διορισικὴ καὶ δεικτικὴ, *definiens & ostendens* Christum respectu ejus naturæ, propter & juxta quam in tempore potuit, istam divinam judicandi ἐξουσίαν accipere. Quin & licet hìc non sit hoc sensu particula αἰτιολογικὴ, quasi humanitas

manitas Christi sit causa & principium, & fons, unde fluat & dependeat ista ἐξουσία, (secus omnibus hominibus competeret,) tamen hoc sano sensu potest dici ἀιλιολογικὴ, quia enim Christus est filius ille hominis, de quo sermo est Psal. 8. & Dan. 7. cui antiquus dierum divinam gloriam & potestatem dedit, ergò, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ, quia filius hominis est, accepit potestatem etiam judicium faciendi: quemadmodum si dicerem, Christo, quia filius hominis est, de quo David Psalm. 8. vaticinatus est, omnia sub pedes sunt subjecta: hoc innuerem, quòd Christo omnia sint sub pedes subjecta, *quatenus* filius hominis est i. e. respectu humanæ naturæ.

Regerit 2. *Filio Dei datam esse potestatem judicandi. E. non Christo, quatenus filius hominis est.* R. Opponit non opponenda. Nam persona Christi est Dei Patris, & Mariæ Virginis Filius. Unde recte dico: Filio Dei incarnato, quatenus filius hominis est, data est illa ἐξουσία. Nec deitas est omninò idem, quod Filius Dei, nec humanitas, quod filius hominis. Deitas enim & humanitas sunt vocabula abstracta, naturas Christi denotantia: sed Dei Filius & hominis Filius sunt vocabula concretiva, significantia ipsam personam.

Regerit 3. *Veteres illa verba: quia filius hominis est: ad seq. versiculum retulisse:* Quia autem subodoratur, ipsam verborum seriem repugnare isti distractioni, propterea non gravatè *concedit, ista verba ad v. 27. pertinere: & proinde τὸ ὅτι exponit per, quamvis: quia sic etiam interdum sumatur.* Ubi elenchum à patticulari committit, nec suam glossam probat.

VINDICATIO *cap. 6. Johannis v. 62.*

Hinc sic colligimus: Christus discipulos suos (qui offendebantur verbis ipsius, quia dixerat, se *suam carnem edendam, & sanguinem bibendum daturum*) plenius informaturus à minori ad majus sic concluſit: Si inde offendimini, quod dixi de *esu meæ carnis, & potu mei sanguinis*: tùm magis offendemini, si me, Filium hominis conspicietis *conscendentem ubi fui priùs*: quia ascensio ad cœlos, adeoque exaltatio ad dextram Dei Patris, quâ non obstante nihilominus *meâ carne, & sanguine* cibaturus & vivificaturus sum credentes, majus mysterium est. At hinc non debetis offensionem capere. E. nec illinc. Si E. Christus *in cœlo priùs fuit*: ergò non demùm in Mariâ Virgine suam ὑπαρξιν accepit.

pit. Hic nervus argumenti Christi solidè refellit nugas Enjedini p. 215. Ubi etiam ait, *Christum ante nativitatem suam ex Mariâ Virgine fuisse in cœlo non reipsâ, seu realiexistentiâ, sed in decreto & prædestinatione divinâ.* At hæc glossa stare nequit: quia 1. recedit à Literâ. 2. Nervum argumenti Christi incîdit: nam & omnes elect. filii Dei fuêrunt à Deo præcogniti. Christus verò hîc aliquod magnum cœleste mysterium vult enarrare, sibi soli competens. 3. Discedit a consuetudine loquendi Biblicâ. Nam ob solam Dei præcognitionem nuspiam in S. Literis aliquis in terrâ existens, dicitur *esse seu existere in cœlo.* Quæ phrasis neque Eph. 2. v. 6. & Phil. 3. v. 20. 1. Joh. 1. v. 2. reperitur.

Deinde p. 216. regerit: verba: *Ubi erat priùs: non propriè sed figuratè esse accipienda: quia & nos dicimus, per communicationem idiomatum, quam ille vocat conflictam, filium hominis fuisse in cœlo.* At, inquàm ego, quæ per communicationem idiomatum, quæ vera est, dicuntur, illa non statim figuratè dicuntur. Verè igitur & propriè Filius hominis dicitur ante suam nativitatem etiam *fuisse in cœlo* propter identitatem personæ: quia filius hominis est ipse *Filius Dei Patris viventis*, Matth. 16. v. 16.

Demum excipit p. 217. & *verba Christi propriè* accipit, *neq; tamen inde sequi* concludit, *quòd quia Christus ante hoc suum colloquium fuit in cœlo, ideò & ante nativitatem suam in eo fuerit.* At, inquam, Christus magnum mysterium suis discipulis proponere voluit, quod nempe *ascensurus sit in cœlum, ubi priùs fuerit*, quàm homo sit natus: siquidem in eodem cap. 6. testatur, se *de cœlo descendisse.* Ante descensum de cœlo fuit in cœlo. E. ante incarnationem: quippe quam iste descensus complectitur. Qui descensus includit ὃ λόγος incarnationem & humiliationem. Nec S. Scriptura describit *duplicem Christi in cœlos ascensum*, quem innuit Enjedinus p. 217. siquidem non nisi unicus ejus visibilis ascensus describitur, Marci 16. & Act. 1. Ubi frustra excipit Enjedinus, *multa Christi facta non esse descripta, quæ tamen contigerint.* Nam si gemina illa Christi in cœlos ascensio non est in verbo Dei descripta, undè eam didicit Enjedinus?

VINDICATIO *cap. 8. Joh. v. 58.*

Hinc nos sic colligimus: Christus *extitit ante Abrahamum*, E. non demum existere cœpit *per nativitatem* ex Maria virgine. Abraham enim longè antè fuit, quàm Maria virgo extitit.

Enje-

Enjedinus, ut hunc insignem locum offuscet, operosè & copiosè desudat, & de *die Christi* frivola nugamenta profert, quæ sua inanitate collabascunt. Verba Christi (ut tantùm summam ipsius depravationum recitem) ita depravat: *Antequam Abraham fiat sc. Pater gentium, ego sum sc. Messias promissus.* Quare 1. vocem Abrahami non explicat *de personâ Abrahami, sed spiritualiter de ejus paternitate respectu gentium.* 2 πὶν γενέσθαι interpretatur non *de existentiâ Abrahami, vel ejus nativitate, sed de accidentali mutatione.* 3. Et statuit, *non reddi id posse rectè per* πὶν *antequam erat, vel nascebatur, vel fiebat: sed per* πὶν *fiat: siquidem aliàs solœcismus & barbarismus sit futurus in verbo, sum: Non enim congruè dici: Antequam Abraham erat ego sum, sed ego fui, vel eram.* 4. *Verba: ego sum*, sic exponit: *ego sum promissus Messias.*

At Resp. has ænigmaticas Enjedini glossas, non posse stare: quia 1. asserit, Abrahamum factum esse, multarum gentium patrem demum post hominem Christum: cùm tamen ille longè ante talis pater factus esset, Gen. 17. v. 5. &c. Etsi gentium conversio in N. T. fuerit *illustrior* & *frequentior.*

2. Quia vocem Abrahami de *personâ* ejus non explicat, sed rapit eam ad *qualitatem* ipsius, cùm tamen Christus eam illo sumserit, ùt & v. 37. 39. 52. 53. 65. 57. fuit adhibita.

3. Responsionem Christi reddit frivolam. Nam Judæi negabant, Christum *esse* 50. *annorum*: & proinde concludebant, ipsum *non vidisse Abraham.* Huic negationi Christus opponit suam affirmationem, juramento confirmatam v. 58. ubi inquit: *Antequam Abraham erat, seu fiebat ego sum.* Finge jam, sensum hunc esse: antequàm non *persona* Abrahami existebat, sed priusquàm Abrahamus fiet *pater multarum gentium*, ego sum: Et Christus ridiculè respondit. Judæi enim loquebantur de tempore præterito, v. 57. Christus verò loquetur de futuro, v. 58. cùm tamen id ipse affirmet, quod Judæi prius negarant. Oportet ergò in negatione Judæorum v. 57. & affirmatione Christi v. 58. *eandem Abrahami personam* intelligi: secus affirmatio Christi negationi Judæorum non rectè erit aptata & accommodata.

4. Neque rectè illa verba: πρὶν γενέσθαι: hic explicat per *sensum futuri temporis.* Etsi enim alibi sic interdum exponi queant, ùt Joh. 13. v. 19. & 14. v. 29. hìc tamen sic exponi nequeunt, quia *tempus præteriti temporis* Judæi Christo objecerunt, v. 57. Quare etiam directè isti objec-

ctioni respondet Christus. At si verba πρὶν γενέσθαι, per *futurum* tempus essent exponenda, tunc Christi responsio foret inepta. Nec & aliàs insuetum est, verba illa de *præterito tempore* intelligi, ùt 2. Macchab. 13. v. 13. Confer & similem dictionis πρὶν cum aoristo constructionem, *præteritum* tempus insinuantem, Matth. 1. v. 18. & Act. 7. v. 2.

5. Nec γενέσθαι dextrè exponit de *accidentali* mutatione. Nam illud opponitur verbo, *sum*. Ergò sicut hoc notat substantialem immutabilem ὕπαρξιν: ita illud notat substantialem inceptionem, seu substantialiter essendi & existendi initium.

6. Nec justè solæcismum objicit. Nam propterea Christus non dixit: antequàm Abraham esset, seu fieret, *ego fui*, vel *ego eram*: sed, *ego sum*: ut immutabilem suam & perpetuam existentiam ostenderet. Quod præter alios patres, etiam Theoph. sic illustrat & explicat: *Vide*, inquit, *non dicit, antequam Abraham fieret, ego eram: sed, sum, istud enim verbum, sum, Deo propriè convenit, eò quod perpetuus sit, & sempiternus. Id quod hoc verbum significat. Itaq; sicut & Pater ejus in veteri lege, hoc verbo utitur: Ego sum, qui sum* (Exod. 3. v. 14.) *de Abraham v. dixit, fieret, meritò, tanquàm de corruptibili. Nam qui factus est, & corrumpitur. Verbum autem, sum, divinam, & ab omni corruptione alienam sempiternitatem significat: Quapropter & Iudæi, existimantes hoc blasphemum verbum, (soli enim Deo convenit) tulerunt lapides contra eum.*

Vindicatio *Joh.* 10. *v.* 30.

Hinc tale resultat argumentum: Christus & Pater *sunt unum*: nempe non solâ concordiâ, sed & οὐσίᾳ. E. Filius est Patri ὁμοούσιος. Nam Christus loquitur de unitate essentiæ: quia unam Patri & sibi tribuit *manum* i. e. *potentiam*, v. 28. 29. Unitas autem *potentiæ divinæ* est unitas *essentiæ*. Potentia enim Dei non est ejus accidens. Taceo quòd Christus tam clarè innuere voluerit unitatem *essentiæ*, ùt vel Judæi id intellexerint: siquidem Christum *blasphemiæ* propterea arguerunt, & *lapidare* voluerunt, v. 31. 33. quia *homo cùm sit, seipsum fecerit Deum* v. 33. At ob unitatem solius concordiæ cum Deo, nemo fit blasphemus, nec morte dignus evadit: quia tenemur voluntati divinæ esse conformes. E.

Regerit Enjedinus p. 228. *nihil hîc agi de essentiâ, sed tantùm de potentiâ & voluntate, quâ oves retinentur, & contra omnem vim defenduntur. Non autem sequi: Pater & Filius in retinendis ovibus easdem vires & voluntatem habent.*

bent. E. *sunt ejusdem essentiæ: siquidem plura queant in uno aliquo esse paria: in cæteris autem diversa: sicut & diversitas Christi & Patris hinc eluceat, quia hic illi oves dederit. Dans autem sit superior: accipiens inferior.* Quin & addit, *Christum eo sensu esse unum cum Patre, sicut nos simus cum ipso unum, nempe consensu, Ioh.* 17. Et tandem p. 229. audacter scribit, *quotiescunq; in S. literis alibi unum prædicetur de pluribus, nunquam de essentiæ & naturæ unitate id intelligi.* E. nec hîc.

At inquam ego 1. *Potentia divina*, quia non est accidens Dei, ideò est ipsa *divina natura* & essentia. Fatetur autem Enjedinus, Christum hic loqui de unitate potentiæ. E. & fateatur, eundem loqui de Unitate *essentiæ*: aut Enjedinus in hoc absurdum incidet, quòd divina potentia non sit ipsa divina natura & substantia, sed ejus accidens. Unde Deus evadet compositus & imperfectus.

2. Non sequitur: Pater Christo *dedit* oves. E. hic eo est *inferior*. Nam & par pari dat. Quòd si libet textum explicare de *datione in tempore*, tunc illa competit Christo juxta *humanitatem*, secundùm & propter quam Christus est Patre *minor*.

3. Nec sequitur: Alibi, v. g. Joh. 17. v. 11. sermo est de unitate *consensus*. E. & hic de eâ unitate est sermo, *exclusâ* unitate essentiæ. Ut taceam, quòd τὸ *sicut*, *Ioh.* 17. *v.* 11. non sit nota perfectissimæ æqualitatis, vel absolutissimæ identitatis, sed *sinceræ conformitatis*, quòd nempe, sicut Pater & Filius, sunt unum (ὁσίᾳ & *concordiâ absolutissimâ*) ita & nos simus unum, unitate *sinceræ conformitatis*.

4. Et nimis audax effatum est, dicere, quod τὸ *unum*, nunquam in verbo Dei de unitate naturæ sumatur. Contrarium enim videre est hic, Joh. 10. v. 30. & 1. Joh. 5. v. 7.

Vindicatio 38.

Hîc dicitur *Pater esse in Christo, & hic in illo*, nempe ὁμοσπαθῶς, & per περιχώρησιν essentialem & non satis explicabilem nobis in hâc vitâ. Nam v. 30. Christus & Pater dicuntur *unum*, sc. quoad naturam & potentiam, ac voluntatem divinam: nec Christus refutat, sed comprobat sententiam Pharisæorum, qui ex verbis ipsius collegerant, quod seipsum faceret *Deum* i. e. quod assereret, se esse ipsum Jehovam; Adde. *Pater est in Filio*, nempe ut Pater ἐδη & in Filio suo unigenito & proprio, Joh. 1. v. 14. & 5. v. 18. & Rom. 8. v. 32. Ergo hîc intelligitur talis essentia Patris in Filio, & hujus in illo existentia, quæ nullis vel Angelis, vel hominibus

minibus est *communis*; sed Patri & Filio *propria*. Unde videre est, quòd pro essentiali (quæ requirit unitatem & identitatem essentiæ divinæ) Patris & Filii (& Spiritûs S.) περιχωρήσει & circuminceſſione probandâ, nudè non argumentemur ex ipsis solis phraseos hujus, *esse in aliquo*: apicibus, sed potiùs simul ex ipsis textûs visceribus. Quare aliena & sophistica sunt, quæ contra adfert Enjedinus.

1. Pag. 230. adfert 1. *Joh. 3. v. 24 & 4. v. 13. 15. & 3. v. 4 & 2. cap. v. 5. & in Evangel. Joh. 14. v. 17. 20. 23. in quibus pii dicantur & esse, & manere* (quæ putat esse *eadem*,) *in Deo, & hic in illis: neq; tamen sint ejusdem essentiæ.* At, inquam, quæ sophisticandi hæc est libido? τὸ *esse in aliquo*, alibi notat præsentiam gratiæ. E. & Joh. 10. v. 38. Ut taceam, quòd esse *in aliquo Deum*, & *Deum in aliquo manere*, non sint prorsus *idem*. Nam in hominibus piis est Deus: sed non manet in iis, verùm ab eis recedit, quando opera carnis patrant. *Tò manere* igitur in aliquo notat inexistentiam non *simpliciter*, sed *permanentem & perseverantem*. Sic & Calviniſtæ putant, fidem justificantem, & fidem perseverantem, æquipollere.

2. Pag. 231. negat, *alio modo Christum & pios esse in Deo & vicissim*: allegatque *Joh. 17. v. 21. & 14. v. 20.* Concedit tamen, *piorum & Christi in Deo existentiam, licet non genere, differre secundùm magis & minus.*

At, inquam, dicta Christi Joh. 17. v. 21. & 14. v. 20. non loquuntur de unitate absolutæ identitatis, sed sinceræ conformitatis, nec de inexistentiâ per omnia pari, sed impari, adeoque toto genere aliâ. Pater enim est in Christo, ùt suo proprio & unigenito Filio, ab æterno ex suâ substantiâ genito, Psal. 2. v. 7 Prov. 8. v. 22. Mich. 5. v. 2. Johan. 1. v. 14. & Rom. 8. v. 32. In credentibus autem nullatenus sic est.

3. Quin & ibidem regerit, *non tantùm Deum dici esse in piis & pios vicissim in Deo: sed etiam dici Christum esse in piis, & in Christo pios, Gal. 3. v. 29 Eph. 3. v. 17. & Gal. 2. v. 20. Neque tamen ex his, & similibus, quenquam sanum colligere, Christum & pios ejusdem esse essentiæ.*

R. Negari nequit, quòd Christus, ùt homo, nobis sit ὁμοούσιος Heb. 2. v. 14. Quando autem Christus dicitur *nos inhabitare*, & *in nobis vivere* est descriptio *præsentiæ* gratiosæ. At quando in Patre suo esse dicitur, tum exprimitur præsentia per ὁμοουσίαν & *consubstantialitatem divinam.*

FINIS DISP. V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0140
DFG

POSTHUMUS
BEATI D. JUSTI FEURBORNII
ANTI-ENJEDINUS,
SEU
VINDICATIONES LOCORUM
SACRORUM,
Quæ corrupit
ENJEDINUS
QUARUM
DISPUTATIONEM SEXTAM
PRÆSIDE
Viro Maximè Reverendo, Amplißimo atque Excellentißimo,

DN. PETRO HABERKORNIO,

SS. THEOL. DOCTORE ET
PROFESSORE PUBL. FAMIGERATISSIMO
Ut & Pastore ac Superintendente Giſſenſi Vigilantiſſimo, Domino, Patrono, Præceptore ac Hoſpite ſuo æviternùm devenerando.

Examini publico ſubjiciet

JACOBUS Rauſchenbuſch/
HERVORDIA-WESTPH.

Die 19. *Februarii.*
In Auditorio Theologico.

[†]

GIESSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad.
Typographi Ordinarii, M. DC. LIIX.

NOBILIBVS, ORTV AC
FAMA CELEBRIBVS.

VOGELIANÆ
ET
DRESINGIANÆ
FAMILIIS.

Posthumum hunc Beati D. JUSTI
FEURBORNII *Anti-Enjedinum.*

Officiosâ manu

offert

JACOBUS Rauschenbusch.
Hervordiâ-Westph.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0143
DFG

COROLLARIA.

I.

Infallibilis Dei præscientia non aufert à rebus contingentiam & libertatem.

II.

Perversa imò impia est illorum sententia scriptitantium DEUM *dici posse causam peccati per accidens.*

III.

Λόγος respectu missionis & officii sui, non minor est Patre. Contr. Sohnium Ludov. Crocium & alios.

IV.

Prædicatio hæc : DEVS est homo non est verbalis sed realis.

V.

Λόγον in assumpta forma humana Patriarchis V. T. quandoque apparuisse communis est Orthodoxorum sententia.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0144
DFG

BONO CVM DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII ANTI-ENJEDINI,

DISPUTATIO VI.

Resp. JACOBO RAVSCHENBVSCH Hervordia-Westphalo.

VINDICATIO Johan. 12. v. 41.

HInc talis emergit Syllogismus: Ille, quem Propheta Esaias vidit insidentem solio, stipatum catervâ & cœtu angelorum, est Jehova Esa. 6. v. 2. 3. Atqui Christus est ille, quem sic vidit Propheta, teste Johanne. E.

Enjedinus nervum hujus argumenti non fuit vel ausus incidere: Quare finxit sic nos argumentantes: *Esaias vidit gloriam Christi. E. Esaiæ ætate extitit Christus.* Quod argumentum mirè & variè torquet:

1. Regerit p. 232. *non sequi: si quis videat alicujus gloriam, eum jam revera existere: quia & futura videantur in Spiritu. Et tantum abesse, ut Christus glorificatus extiterit revera, ætate Esaiæ, ut ne vivens quidem, ante resurrectionem glorificatus fuisse dicatur, Ioh. 7. v. 39. sed gloriam accepisse post mortem, 1. Pet. 1. v. 21. Heb. 2. v. 9. Apoc. 5. v. 12. Phil. 2. v. 9.*

℟. 1. Esaias vidit *gloriam Iehovæ existentis.* Christus autem est ille,

quem vidit. E. est *Iehova, qui extitit tempore Esaiæ*, adeoque, qui ab æterno immutabiliter est. Aliena igitur est exceptio de visione nondum existentium, sed demum futurorum. 2. Christus post resurrectionem fuit glorificatus sc. *ut homo*: sicut tenor dictorum allegatorum, probè consideratus ostendit. Esaias loquitur de gloriâ, quam Christus, *ut DEVS*, ab æterno cum Patre & Filio habuit. Nam Act. 28. v. 25. &c, hoc dictum Esaiæ exponitur de Spiritu S. Una enim est gloria Sanctæ Trinitatis, & quæ Patris, etiam Filii est: & quæ Filii, etiam Spiritus S. est. Quomodo autem Calviniani solidè satisfacient Photinianis, dum de glorificatione Christi, *quà DEVS est*, illa dicta explicant?

2. Excipit p. 233. *In verbis præscriptis nullam fieri mentionem Christi, nec ullam necessitatem cogere, ut pronomen ejus, & eo, ad Christum referatur: cùm potiùs referendum videatur ad vocem κυρίου, Domini, nempe Patris v. 38.* Quam sententiam non esse *absurdam*, putat 1. *Patere ex eo, quòd Evangelista illud excæcavit, & induravit, procul dubio retulerit ad vocem κυρίου; aliàs verba Prophetæ non immutârit: quæ tamen sint mutata. At vocem κυρίου notare Patrem.* 2. *Quòd in quibusdam codicibus græcis loco pronominis αὐτὸν, positum sit nomen Θεοῦ.*

℟. 1. Probando, quòd pronomen relativum αὐτὸν respiciat & innuat Christum. Nam versus 37. sic habet: *cùm autem tàm multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, nempe Christum. Versus 38. sic annectitur, *ut sermo Esaiæ impleretur.* Quare, quia in Christo completus est sermo Esaiæ, proinde is de Christo locutus est. Deinde v. 42. sic additur: *Verumtamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum*, nempe Christum. Quare de eo loquitur ℣. 41. de quo disserit v. 42. quia *in eundem* illa multorum πίστις, ab Esaiâ prædicta, & fides quorundam primorum tetendit. At de Christo loquitur v. 42. E. Taceo, quòd Apoc. 4. v. 8. dictum Esaiæ de *Christo* (quippe qui illinc excludi nequit, sicut constat ex Apoc. 1. v. 8. 17. 18. & 5. v. 12. 13.) explicetur.

℟. 2. Rationes allatas dissolvendo. 1. Ratio falsa est. Nam vox κυρίου nequit Patri tribui, excluso Filio, & Spiritu S. quia & de his hoc dictum exponitur v. 41. Apoc. 1 & Act. 28. Adeoque illa Judæorum excœcatio & induratio est actio judiciaria & vindicatoria. At Christus est Judex, Johan. 5. E. & Christi est. 2. Ratio etiam non militat. Nam si vel maximè quædam editiones loco pronominis αὐτὸν, haberent

rent vocem θεὸν, hæc tamen Christo detrahi non posset: quia hic est verus Deus, 1. Johan. 5. v. 20.

3. Regerit p. 233. Etiamsi *concedat, per pronomen αὐτὸν intelligendum esse Christum: Observandum esse vocabulum, videre, poni sæpe in sacris pro prævidere & prophetare. Ita ergò hîc dici Esaiam vidisse gloriam i. e. prophetâsse de gloriâ. non autem eam vidisse.* Quam interpretationem putat *evinci, ex 1. Pet. 1. v. 11.*

Ad. 1. At visus verus hìc intelligitur: quia ejus objecta recensentur, Esa. 6. v. 1. &c. & Joh. 12. v. 41. Nec *videre* formaliter est vaticinari: sed actum vaticinandi præcedit, Prophetæ enim dicuntur *videntes*, quòd à Deo visiones accipiunt, quas deinde hominibus annunciant.

2. Petrus loquitur de *gloriâ*, quam Christus, ùt homo in tempore accepit. Hactenus igitur inde non probatur, quòd tempore Esaiæ Christus, *ùt DEVS*, illam gloriam non habuerit.

3. Occinit p. 234. *Observandum esse, hîc duos Esaiæ locos citari ab Evangelistâ, unum ex cap. 53. alterum ex cap. 6. nosq; ait, perperam pronomen hæc, Iohan. 12. v. 41. tantùm referre ad locum posteriorem; quia Evangelista significet, majestatem illam, quam se vidisse Esaias referat in principio capitis 6. fuisse gloriam Christi. Quam sententiam stare non posse* censet. *Quia 1. Esaias non dicat, se gloriam vidisse, sed dominum sedentem super solium. 2. Quia visio illa non pertineat ad Christum, sed ad Patrem Apoc. 4. utpote qui cap. 5. à Patre distinguatur. 3. Quia locus Esa. 6. aliquoties in N. T. allegatus, nunquam Christo attribuatur. E. nec hîc.* Proindè concludit, *pronomen, hæc, potiùs ad Esa. 53. quàm ad cap. 6. referri.*

Ad. 1. Frivolæ sunt hæ rationes 1. Quia Johannes ex instinctu Spiritus S. asserit, *Esaiam vidisse gloriam Domini.* Quare illa non sunt hîc opponenda. Propheta vidit *Dominum insidentem throno.* E. non vidit gloriam ejus. Imò thronus ille, est thronus gloriæ, Matth. 19. v. 28. 2. Visio, Apoc. 4. descripta, Christo detrahi nequit, ùt supra probavi. 3. Imò hìc Johan. 12. v. 41. & Apoc. 4. Illud Esaiæ dictum de Christo explicatur. Quare pronomen *hæc, immediatè* refertur ad sermonem Esaiæ cap. 6. *mediatè* verò & certâ quâdam ratione ad c. 53. ubi quidem Esaias primò vaticinatus est de *Christi ignominiâ*, veruntamen & simul de ejus *gloriosâ exaltatione* insecuturâ, prophetavit.

VINDICATIO *Johan.* 14. *v.* 9.

Argumentamur inde hoc modo: Christus dixit: *Qui videt me, videt Patrem*, & textus innuit, Christum intelligere visionem, quæ requirat Patris & Filii ὁμοουσίαν. E. eorum est una substantia. Siquidem ejusdem ist us visionis & cognitionis causa est *identitas* naturæ, & voluntatis Patris & Filii. Sicut Theoph. hîc ait: *Cùm una sit* (Patris sc. & Filii) *substantia, una quoq; scientia est.* Cyrill. etiam lib. 8. in Johan. 23. inquit: *Vt amplius ostendat omnimodam identitatem, & æqualitatem sui ad Patrem, subjungit: Qui videt me, videt & eum, qui misit me, q. d. usq; adeo nihil distat inter ipsum & me, ut qui me videt, protinus videat & eum, qui misit me, propter similitudinem in naturâ, naturalibusq; proprietatibus utriusq;. Non autem hîc visio dicitur, objecti & coràm existentis corporis conspectio: non enim corpus, sed Spiritus est Deus: sed consideratio veri, quæ est per intellectum, & fides in Deum, hîc visio dicitur.* Hæc ille. Nota autem, quòd non hæreamus in solâ phrasi, sed potiùs rem substratum expendamus & textus φράσεις, quæ indicant, Christum loqui de Patre & de se, quatenus sunt *unum*, nempè ἑνότητι divinâ, Joh. 10. v. 30. Sic Deus & v. g. Esaias Prophetæ fuerunt *unum* consensu, & non ἑνότητι. Proinde nusquam dixit Esaias: *Qui videt me, videt Deum Patrem.*

Enjedinus 1. p. 236. nobis imputat, *quasi visionem corporalem hîc intelligamus*, & proinde *Anthropomorphitarum & Patripassianorum errorem* objicit. At, ùt dixi, vel olim Cyrillus apertè testatus est, sermonem hîc esse de *visu mentis*. Aug. etiam tract. 70. in Joh. super verba Christi: *Qui videt me, videt Patrem*, sic scribit: *Non quòd ipse sit Pater & Filius, quòd in Sabellianis qui vocantur etiam Patripassiani, Catholica fides damnat, sed quòd tàm similes sint Pater & Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit.* Et (ùt paulò pòst ait August.) *à Patris similitudine, in nullo prorsus discrepet Filius.*

2. Regerit, *in pronomine, me, esse synechdochen, siquidem Christus velit, non totum se, imò corpus nullo modo, sed facta sua & vitas consideranda, ut sensus sit: Qui videt me, id est, qui perpendit & animo consideravit mirifica mea opera, quæ vi Dei Patris efficio, vel potiùs in me, & per me Pater efficit, qui mores & conversationem meam inter homines intelligit, ille etiam Patrem novit. Opera enim divina sunt species, imago, & quoddam quasi speculum, in quibus Deus ab homine conspicitur, &c.*

℟. 1. Falsò ponitur Synecdoche in pronomine *me*: quia actiones & passiones sunt suppositorum, non synecdochicè sed propriè. Et licet integrum aliquid habeat ab unâ parte, id tamen propriè habet. Quemadmodum igitur Scaliger Exerc. 307. s. 36. meritò reprehendit Cardanum, quòd *homini non propriè, sed intellectui tribuat sapientiam, (cùm ipse homo propriè intelligat per animam,)* ita meritò redarguendus est Enjedinus, quòd putat, non propriè dici Christum ipsum, sed ipsius facta videri.

2. Insufficiens affingitur ratio affirmationi Christi: si enim tantùm propter opera divina, quæ Pater per Christum fecit, viso Christo visus fuit Pater: Ergò etiam quilibet Propheta, & Apostolus propter opera, quæ Deus per ipsum edidit, dicere potuit: *Qui videt me, videt Patrem.* Quod tamen nullus eorum sic elocutus est. Oportet ergò præter *opera divina*, esse aliam hujus locutionis causam, nempe ὁμοσίαν *divinam*, cur Christus dicat: *Qui videt me, vidit Patrem.*

Vindicatio Joh. 16. v. 15.

Indè sic colligimus: *Omnia, quæ Pater habet, Christi sunt.* E. essentiam Patris habet Filius.

Regerit Enjedinus p. 238. &c. *effatum Christi esse proverbiale & vocem, omnia, non indefinitè & simpliciter esse accipiendam: qui* 1. *ipse Christus Joh. 17. v. 10. inquiat: Mea omnia tua sunt, cùm tamen Pater non habeat animam & corpus. Sic non simpliciter omnia Patris esse Filii, putat hinc convinci.* 2. *Quia nos ipsi Paternitatis relationem excipiamus. Quare & ipsis Photinianis licitum esse censet excipere, essentiam.* 3. *Quia Paulus* 1. *Tim.* 1. *v.* 17. *&* 6. *v.* 16. *Immortalitatem, invisibilitatem, & alia quædam Deo Patri esse peculiaria affirmet.* 4. *Quia summus animorum consensus dicitur communio bonorum, Luc.* 15. *vers.* 31.

Ad 1. ℟. Effatum Christi non est *proverbiale* (sed proprium.) Nec aliud probant allatæ rationes. Etsi enim Pater non sit incarnatus, tamen actio illa creatrix, quâ humanitatis Christi massa fuit formata, etiam Patri competit.

Ad 2. Relationem Paternitatis ipsa Scriptura excipit, dum Christum vocat *alium à Patre*, Joh. 5. v. 32. At essentia & sapientia divina hìc excipi nequit: siquidem Christus Johan. 16. v. 15. reddit rationem, cur anteà dixisset, v. 14. *Ille me glorificabit: quia de meo accipiet, & annuncia-*

nunciabit vobis. Omnia, inquit, quæcunq; habet Pater, mea sunt: propterea dixi (vobis) quòd de meo i. e. de meo infinitæ sapientiæ thesauro, qui & Patris est, accipiet, & annunciabit vobis.

Ad 3. Quando Paulus *solum DEVM* vocat sapientem & immortalem, tum per particulam istam exclusivam: *solus*: non excluditur sive hæc, sive illa S. Trinitatis persona, sed reliquæ creaturæ.

Ad 4. Si propter *solum animorum consensum*, Christus dixit ad Deum Patrem: *Omnia tua mea sunt, & omnia mea sunt tua*: tum etiam propter eundem quilibet sanctus cum Deo consentiens, sic dicere potest. Quod tamen de nullo in verbo Dei scriptum extat. Dictum Luc. 15. v. 31. hìc est alienum, quia illud intelligitur de filio, fratrem suum antecellente, loquiturque de facultatibus transitoriis. At Christus differit de ipsâ *infinitâ deitate & divino imperio* in omnia: Deque infinitæ sapientiæ thesauro, ex quo Spiritus S. illa accepit, quæ Apostolis significavit.

Vindicatio *Joh.* 16, *v.* 28.

Argumentamur inde taliter *Christus exivit à Patre, & venit in mundum*. E. ante exitum illum & adventum revera extitit. At exitus ille & adventus in mundum comprehendit incarnationem & humiliationem: Quare extitit ille ante illam & hanc.

Non igitur, ùt ogganit Enjedinus p. 240. statuimus, quòd *τὸ exire à Patre*, hic significet vel æternam Christi ex essentiâ Patris generationem, vel localem de cœlo descensionem, Qui neque p. 241. divinæ satisfecit veritati, ubi ait *exire à Deo*, nihil aliud *significare*, *quàm authore Deo, & illo jubente, ac mittente, aliquid facere, seu missi à Deo, Iohan. 17. v. 8. & c. 16. v. 27. & c. 17. v. 25. Venire autem in mundum, nihil est aliud, quàm missioni & mandato obtemperare, mundo manifestum fieri, & jussa exsequi: Tempus etiam hujus adventus Christi in mundum, etsi quodam modo ad nativitatis tempus extendi posse*, scribat, *tamen addit propriè ad illud tempus, quo Christus docere, & post baptismum ac tentationem, discipulos facere, & annunciare Evangelium cœpit, referri debere; & per confirmationem* allegat, *Marci 1. v. 38. & Luc. 4. v. 43. & Ioh. 18. v. 37.* Hæc ille, quæ stare nequeunt. Nam & Prophetæ, & Apostoli, authore & mittente Deo prædicârunt: nullibi tamen dicuntur *à DEO exiisse*, sicut Christus illam phrasin sumit. Unde sophismata Enjedini, quæ nectit p. 242. per se destruûtur. Et falsò tempus il-

pus illius exitus & adventus refertur propriè tantùm ad *publicum ministerium Christi*. Nam exiit & missus est à Patre, ut *ex muliere nasceretur*, Gal 4. v. 4. Nec quicquam aliud significant allegata testimonia, quia docent, finem exitus, & adventus Christi esse, non ut in otio viveret, sed ut hominibus divinum verbum prædicaret.

Deinde desudat Enjedinus p. 242. probare, *quòd exitus & missio Christi, nullam ejus in cœlo præexistentiam significent, ut constet ex Joh. 17. v. 18, & 20. v. 21.* At, inquam, ibi Christus *in aliquo certo tertio* Apostolorum missionem comparat cum sui ipsius missione: nempe ad Evangelizandum. Quæ comparatio ultra mentem Christi non est extendenda.

Porrò, quando urgemus oppositionem *abitus à Patre*, & *reditus Christi ad Patrem*, & quia ipse, non *imaginatione*, sed revera ad Patrem rediit, propterea *revera* eum ab illo exiisse concludimus; Tum p. 244. negat sensum prioris partis oppositionis ex posteriori esse venandum & intelligendum: quia prior pars possit alio, & posterior rursus alio sensu accipi: sicut nos ipsi dicamus, Christum *respectu carnis* ad Patrem abiisse: *respectu deitatis* verò à Patre exiisse.

R. 1. Opposita versantur circà idem. E. quia abitus à Patre & reditus ad Patrem sunt opposita & hic non est imaginarius, sed *realis*, propterea & illum oportet esse *realem*. 2. *Exire à Patre* notat in assumtâ carne se humiliâsse, & inter homines familiariter & conspicuè conversatum esse. *Rediisse ergò ad Patrem*, notat subtractionem istius visibilis conversationis. Hactenus ergò eidem personæ Christi competunt respectu carnis.

Vindicatio Joh. 17. v. 5.

Hinc sic colligimus: Christus divinam gloriam apud Patrem habuit ante mundi creationem. E. etiam ante creationem extitit.

Opponit Enjedinus p. 245. quòd Christus istam gloriam, priusquam mundus factus est, habuerit, non *reipsâ*, sed solùm *prædestinatione*: sicut nos dicamur ab æterno electi, Eph. 1. v. 4. & nobis data sit gratia ante tempora secularia, 2. Tim. 1. v. 9. Nec *infinitam* gloriam posse intelligi, quia & *Apostolis* sit data.

R. 1. Falsum est, quòd Christus illam gloriam, antequam mundus fieret, habuerit non *reipsa*, sed tantùm *prædestinatione*. Nam 1. Christus hîc

stus hîc sine ullâ tali restrictione loquitur : Nec datur locus in verbo Dei, ubi hæc phrasis, in plenitudine suâ sumta : *habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus fuit factus*, usurpetur de τῷ habere tantùm quoad divinam, *prædestinationem*. 2. Christus ùt *Filius DEI Patris unigeenitus*, habuit illam gloriam apud eum, nempe Patrem. Si igitur solâ prædestinatione illam gloriam ab æterno apud suum Patrem habuit : ergò etiam *solâ prædestinatione* ab æterno fuit Filius, & Pater *solâ prædestinatione* fuit ab æterno ejus Pater. At reali generatione fuit ab æterno ejus Pater, & hic ejus Filius. E. 2. Sic Christus illam gloriam ab æterno habuit apud Patrem, ut in principio (creationis scilicet c. 1. Joh. v. 3. 11.) apud illum fuerit, Johan. 1. v. 1. adeoque ante illud , Prov. 8. v. 22. E. reali ὑπάρξει illam gloriam apud Patrem ab æterno habuit. 4. Sic illam *gloriam* ab æterno apud Patrem habuit, ut factus homo *ab illâ* se ipsum in carne exinaniverit, Phil. 2. v. 6. seqq. At si solâ prædestinatione illam ab æterno habuisset, tùm ab illâ se non ita exinanivisset. Exinanitio enim hæc non fuit *imaginaria*, sed *realis* : quæ prærequirit realem rei, quæ inanitur, *possessionem*. 5. Si verba Christi : *quam habui apud te, antequam hic mundus factus esset* : essent exponenda de τῷ habere tantùm quoad divinam *prædestinationem* ; tum nihil dixisset Christus, *sibi soli*, & non reliquis electis Dei filiis simul, competens. Nam omnes finaliter credentes homines gloriam apud Deum habuerunt *in prædestinatione*, ab æterno factâ. At hìc Christus aliquid , sibi soli competens, expressit : Nam intelligit glorificationem, quæ facta fuit, ùt Aug. & Theoph. rectè explicant, per collocationem ad dextram Dei Patris. Qui consessus tàm sublimis est, ut etiam ipsis S. angelis detrahatur, Heb. 1. v. 13. 6. Si Christus gloriam illam ante mundum conditum apud Patrem habuit tantùm in prædestinatione, ergò Patri non fuit ἴσος, uti tamen asseritur, Joh. 5. v. 18.

2. In citatis ab Enjedino locis, Eph. 1. v. 4. & 2. Tim. 1. v. 9. est commissus ab ipso elenchus parrum. Nos enim sumus ante mundum conditum in Christo electi, κατὰ πρόγνωσιν, Rom. 8. v. 29. & 1. Pet. 1. v. 2. Quæ arguit nos ante conditum mundum non extitisse reipsâ. Sic *ante tempora æterna* data nobis est gratia, nempe quoad divinam prædestinationem.

3. Quod attinet v. 22. cap. 17. Johan. sciendum est, quòd ibi Christus non loquatur de unâ eâdemque gloriâ, de quâ disseruit v. 5.

(illa

(illa enim est infinita, quam alteri non vult dare, Esa. 42. v. 8.) sed de gloriâ immortalitatis & cœlestis beatitatis. Confer. 1. Corint. 15. v. 43. Phil. 3. v. 21. & 2. Thess. 2. v. 14. Duplicia enim dona Christus accepit 1. Quædam pro se solo. 2. Quædam pro hominibus, Psal. 68. v. 19. & Eph. 4. v. 8. Illa sibi soli reservat, hæc nobiscum communicat, ita tamen, ut ipse maneat πηγὴ πάντων. Col. 1. v. 18.

Vindicatio Joh. 20. v. 28.

Hinc sic argumentamur: Thomas in verâ fide Christum agnovit suum Deum & Dominum. E. Christus est verus Deus, & Dominus altissimus. Non enim Thomas Christum hîc vocavit Deum & Dominũ, qualiter multi dicuntur, 1. Cor. 8. v. 5. qui sunt Dii nuncupativi, sed verum Deum, & Dominum altissimum: quippe in quem credidit. Salvifica autem fides in solum Jehovam est collocanda, Jerem. 17. v. 5. Longè ergò absurdissimum est, quod regerit Enjedinus p. 249. nempe, quòd *Thomas hisce verbis Christum non compellârit, neq; eum Dominum & Deum suum vocârit, sed rem inusitatam, & admirationem suam summam significârit.* Apertè enim textus reclamat, qui testatur, quòd Thomas Christo responderit, eumque allocutus fuerit, v. 28. Quæ phrasis verum notat alloquium. Nec obstat Luc. 14. v. 16. & Joh. 14. v. 22. 23. &c. Nam & ibi verba ad priùs locutum diriguntur. Nec est, ut regerat Enjedinus p. 250. quòd *in Christo nunc nihil tale à Thomâ fuerit visum, ex quo colligere potuerit, ipsum esse Deum. Nam resurrectio non ei, qui resurrexit, sed resuscitatori opinionem divinitatis conciliare solet &c.* At, inquam Christus *propriâ virtute* resurrexit. Joh. 2. v. 19. & 10. v. 18 & ex resurrectione declaratus fuit *Filius Dei*, Rõ 1. v. 4. Et Thomas, postquàm Christus clausis januis intraverat, & in medio steterat, atq; etiam ipsi pacẽ optaverat, & contulerat, atque suas manus & clavorum vestigia monstrârat, rursus credere cœpit, & tam insignem de Christo confessionem edidit. Atque hactenus Evangelistam Johannem ab aspersis Enjedini detorsionibus vindicavimus.

Vindicatio Actor. 3. v. 15.

Hinc tale resultat argumentum: *Author vitæ* est Deus altissimus, Psalm. 36. v. 10. & Act. 17. v. 25. & 28. & passim: Christus est *Author vitæ*. E.

Regerit Enjedinus 1. p. 251. *Christum esse authorem seu causam secundarium vitæ; quia à Patre acceperit vitam, Iohan. 5. v. 26.* At, inquam, non sequitur: Christus à Patre accepit vitam. E. non primarius, sed secundarius est vitæ Author: quemadmodum non sequitur: Christus à Patre accepit Deitatem. E. est secundarius Deus. Notiones enim vium divinarum personarum characteristicæ neque majoritatem, neque minoritatem illis tribuunt, sed tantùm eas distinguunt.

2. Excipit, *nos in græco textu legere,* ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς. *At* ἀρχηγὸς *propriè ducem & principem, non authorem significet.* Ubi fallaciam oppositorum committit. Nam & in profanis authoribus Græcis, & nominatim Isocrate, & in S. literis, ùt Act. 5. v. 31. & Heb. 2. v. 10. & 12. v. 2. ἀρχηγὸς junctim notat ducem, principem, authorem. Idque etiam probat ipsa notatio vocis. Componitur enim ex nomine ἀρχὴ i. e. principium, fundamentum, & imperium, seu verbo ἄρχω, quod significat initium facio, & author sum, & deinde ex verbo ἄγω i. e. duco.

3. Opponit, *quòd Christus non hujus, sed futuræ vitæ dux & princeps meritò dici possit. Nam ille non tantùm viam nobis præscripserit, quâ ad vitam futuram, seu æternam perveniamus: sed ipse & primus viam inierit, & nobis præiverit, suo exemplo nos invitans & confirmans.* Hæc ille: Committens 1. Elenchum oppositorum, nam Christus & hujus & futuræ vitæ author est: nos enim vivos creavit in incorruptibilitate. Iohan. 1. v. 3. Sap. 2. v. 23. 2. Non rectè exponens causam, cur Christus sit author æternæ vitæ: quippe cujus author & causa est, non tantùm quoad *exemplarem* præitionem, sed imprimis quoad *meritoriam* ejusdem acquisitionem, uti in articulo de justificatione & salvatione probatur.

VINDICATIO *Actor. 5. v. 3. 4.*

Hinc Spiritùs S. Deitas evincitur efficaciter. Nam Petrus testatur, quòd Ananias mentitus sit *Spiritui S.* v. 3. &c. & statim v. 4. annectit, ipsum mentitum esse non hominibus, sed *DEO*, nempe ùt cordium inspectori. Qui mentiendo autem Petro mentitus est, is non hominibus, ùt tamen Ananias putabat, sed Deo mentitus est.

At mentitus est Spiritui S. E.

Enjedinus præter meritum, nectit syllogismos, minimè quadrantes ad institutum p. 252. & insuper addit, *quòd Ananiæ aliter sit mentitus Spiritui S. & aliter Deo. Illi immediatè, huic mediatè, nempe per Spiritum S. in illum.*

illum, tanquam in donum DEI, & in medium, per quod operatus sit Deus : In hunc, tanquam causam principalem. Quod discrimen nuspiam stabilitur in verbo Dei, sed destruitur in eo : quippe quod testatur Spiritum S. esse ipsum Deum Israëlis, Luc. 1. v. 68. 70. & 2. Pet. 1. v. 21.

Deinde regerit Enjedinus p. 253. *juxta graecum textum non haberi, mentiri Spiritui Sancto : sed Spiritum S. Quæ phrasis bifariam possit accipi, 1. ut mentiri Spiritum S. sit fingere, & falsò ostentare, Spiritum S. se accepisse. 2. Fallere.* At, inquam ego, non jam quæritur, quomodo possit hæc phrasis accipi, sed quis sensus ejus actu sit ? Quare ψεύδεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, vel τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, (nam promiscuè & cum dativo & cum accusativo personæ verbum illud construitur,) est mendacio decipere (sc. quoad conatum) Spiritum S. nempe ei aliquid occultare velle, quod tamen ipsi, ut Scrutatori cordium, est omninò patulum. Non enim hìc ψεύδεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, notat mentiri Spiritum S. quemadmodum latinè aliquis dicitur, *mentiri faciem alicujus* : Sed significat verbo & facto ipsi Spiritui S. imponere, nempe quoad conatum. Ita enim v. 4. illud verbum explicatur. Notetur hìc geminatio articuli τὸ : quâ ideò usus est Petrus, ut luculentius indicaret, Spiritum S. esse verum Deum, & verum ὑφιστάμενον. Nec immeritò. Nam Spiritus S. est author ministerii, verbi & Sacramentorum, 1. Cor. 12 & 2. Cor. 3. Quisquis ergò ministris Dei conatur imponere, & contra eos agit, is in ipsum Jehovam peccat. Vide Gen. 6. v. 3. & Exod. 16. v. 8.

VINDICATIO *Actor.* 20. *v* 28.

Hinc primò pro Personâ Spiritus S divinâ sic concludimus : Spiritus S. ùt dominus messis, ponit Ecclesiæ Episcopos. E. est Deus per se subsistens. Probatur antecedens : quia Spiritus S. Ecclesiis præficit Episcopos, non ùt homines solent, sed ùt Dominus 1. Cor. 12. Necesse, ut regerat Enjedinus, p. 254. etiam attributis divinis tanquam personis quibusdam subsistentibus, actiones tribui. Nam Spiritui S. ùt Personæ subsistenti, intelligenti, & volenti eæ tribuuntur, 1. Cor. 12. v. 4. seq. Hactenus ergò non est par ratio.

Deinde pro Deitate Christi hinc sic colligimus : Christus hìc absolutè & simpliciter dicitur DEVS, & quidem ille, qui proprio sanguine acquisivit Ecclesiam. E. est altissimus Jehova : quippe qui solus absolutè

solutè & simpliciter dicitur Deus, & solus Ecclesiam à potestate Sathanæ & mortis redimere potest.

Nugæ ergò sunt, quas profert Enjedinus p. 255.

1. Concedit, *Christum esse DEVM*: quia argumentum loquitur de Deo vero & altissimo: & non de Deo nuncupativo, qualem sibi imaginatur Enjedinus.

2. Ait, *sanguinem Iesu (quia fuerit hominis, Deo carissimi, & filii dilectissimi) dici sanguinem Dei, non quòd Deus sanguinem habeat: sed quòd illum Deus pro suo reputet, & tàm pretiosus illi sit, quàm si esset ipsius: Vnde per DEVM hic non intelligit Christum, sed Patrem.* Quæ est aperta corruptela. Sic enim & sanguine omnium Sanctorum Deus dici posset acquisivisse sibi Ecclesiam, quippe qui ipsi sunt etiam dilectissimi. Hic sanguis dicitur Deo ἴδιος *proprius*, intellige, proprietate unionis hypostaticæ. Atqui solus Filius Dei caro factus est, Joh. 1. v. 14. nostrique sanguinis particeps redditus, Heb. 2. v. 14. Unde hic sanguis Christo, & non Patri tribuitur, ùt proprius Heb. 9. v. 12. & 13. v. 12. cum quibus confer Zach. 9. v. 11. Rom. 3. v. 25. Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 20. & Apoc. 5. v. 9.

3. Instat, *Græcos ellipticè nonnunquam uti oratione, atq; substantivum υἱὸς fere semper, apposito patris tantùm aut gentis nomine in casu genitivo omittere. Possumus igitur*, inquit, *verba ista sic interpretari: acquisivit sanguine sui (vel proprii) filii.* Hæc ille, malitiosè detorquens textum. Nam etsi ellipsis illa interdum locum habeat, hic tamen non potest concedi: quia 1. Hic non est genitivus Patris, aut gentis. 2. Est hic talis constructio: διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *per proprium sanguinem*, seu proprio sanguine. At Deus Pater non est incarnatus, nec in unitatem suæ personæ sanguinem assumsit, sed solus Filius. Quare sanguis assumtus est Filii, & non Patris proprius.

4. Regerit p. 256. *tàm apud Græcos vocem αἷμα, quàm apud Latinos vocem sanguinis, poni pro filio. Posse E. non incommodè dici, Deum sanguine suo proprio, hoc est filio suo redemisse Ecclesiam.* At, inquam, nonnè & hoc est, apertè contradicere divino verbo, in quo Filius Dei nunquam in casu recto dicitur αἷμα, *sanguis*, etsi sanguinem sibi, ùt vero homini, tribuat. Potiùs Filius Dei à sanguine suo luculentè discernitur, ut 1. Joh. 1. v. 7. *sanguis Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* Etsi ergo parentes interdum suam prolem vocitent *suam carnem & suum sanguinem.* Quia ea ex paren-

parentibus prognata est : nunquam tamen *filius* & *sanguis* sunt merè identica. propriè loquendo.

5. Tandem occinit, *sanguinem Christi dici sanguinem Dei, quia & Deo fuerit sacer & sacratus, & eo sit Ecclesia redempta.* Qui rursus est elenchus causæ. Nam sanguis dicitur *Dei proprius*: Quia Deus ὁ λόγος factus est caro, Joh. 1. v. 14. & sanguinis nostri particeps redditus est, Heb. 2. v. 14. Certè si ideò sanguis Christi, dicitur *Deo proprius*, quòd Deo fuerit sacer; tum & sanguis brutorum animantium potest dici, *Dei proprius*: quia & ille in V. T. fuit Deo sacratus & oblatus. At nuspiam ille sanguis dicitur *Deo proprius*. Taceo, quòd Enjedinus sinceriè non credat, nos sanguine Christi proprio esse redemtos.

VINDICATIO *Cap. 28, v. 25.*

Pro Deitate Spiritus S. hinc sic concludimus:

Esa. 6. *Deus exercituum* dicitur esse ille, qui hæc verba dici populo jussit: Hîc autem dicitur fuisse ille *Spiritus S.* E. Spiritus S. est *DEVS exercituum*.

Regerit Enjedinus 1. *esse 4. termines: quia Deus ista verba dixerit principaliter: Spiritus S. autem instrumentaliter. Quemadmodum itaq; Esaiæ Deitas inde non potest probari, quòd Iohan. 12. verba ista ipsi Prophetæ assignentur: ita pusat Spiritus S. Deitatem inde non posse stabiliri.*

Rz. Nequaquam sunt 4. termini: Quia Spiritui S. non ùt *instrumento*, sed ut *Domino* jubenti & mittenti Prophetam, Paulus ista verba assignat. Sic enim inquit: *Bene locutus est Spiritus S. per Esaiam* (sc. ùt Dominus, sc. per suum ministrum) *ad patres nostros, dicens: Vade* (hoc divinum mandatum est probè notandum) *ad populum istum, & dic &c.* At Johan. 12. nequaquam ita verba ista *Esaiæ* adscribuntur: Siquidem Johannes tantùm narrat, quodnam factum & opus Esaias de Deo enunciârit. Videatur textus Joh. 12. v. 39. &c.

2. Excipit p. 258. *Solere Scriptura aliquam figuratè tribuere parti aut epitheto alicui quod sit ipsius rei. Nequaquam tamen inde colligendum esse partem & epitheton esse rem per se subsistentem. Quia E. Spiritus S. sit virtus altissimi, & digitus Dei, ideò de ipso quasi de Dei parte enunciari, quæ sint ipsius Dei: & proinde sicut nemo de digito Dei fabricare queat personam: ita neq; de Spiritu S.* At, inquam, falsa est ista hypothesis, quòd Spiritus S. sit pars, epitheton, & attributum Dei; quia est *ipse DEVS Israël*, vivens, intelligens, volens,

loquens & nos in omnem veritatem ducet: sicut docet S. Scriptura.

VINDICATIO *Rom. 1. v. 3.*

Hic *Filium Dei Christum*, dicitur *factus ex semine David, secundùm carnem* i. e. juxta humanam naturam. E. præter humanam naturam in ipso est & *divina natura.*

Reponit Enjedinus 1. p. 259. *quòd vocabulum carnis, potissimum cum præpositione κατὰ, significet τὸ vulgare, usitatum, crassum, ut Iohan. 8. v. 15.* Quare putat sensum esse: *Christum juxta carnem i. e. vulgarem nativitatem, esse ex semine David: sicut juxta Spiritum Sanctificationis sit Filius Dei Patris: cujus filiationis causa alia non sit, quàm quòd Pater ipsum sanctificârit, & miserit in mundum, Ioh. 10. v. 36.*

Ad. 1. Vox *carnis* varias quidem habet significationes: at falsum est, quòd vel Johan. 8. v. 15. (ubi Pharisæi dicuntur *juxta carnem judicare*, h. e. juxta corruptam & excœcatam naturam humanam, pravis affectibus indulgentem) vel hic notet *τὸ vulgare*, exclusâ substantiâ carnis: quia Christus hìc dicitur factus, *ex semine David juxta carnem*. Intelligitur ergo ipsius natura & substantia humana, respectu cujus fuit oriundus ex semine David. 2. Taceo, quòd illa Christi juxta carnem ex Mariâ virgine conceptio non fuerit *vulgaris*, sed prorsus *singularis*. 2. Nulla alia est filiationis Christi, quâ ipse est Filius Dei, ratio, vel causa, quàm æterna *ex substantiâ* Dei Patris generatio, sicut alibi probavi ex Psalm. 2. Prov. 30. Mich. 5. & Johan. 1. Non ergò ob sanctificationem & missionem Johan. 10. v. 36. descriptam, vel ob resurrectionem ex mortuis Christus est Filius Dei æternus: sed ista ad filiationem insuper accedunt. *Declaratus* fuit ex resurrectione Filius Dei, sed non inde *factus.*

2. Regerit p. 262. *si sententia nostra vera sit, sequi, & Apostolum Paulum, & Ismaelem habuisse duas naturas & à parentibus suis alteram tantùm accepisse. Nam & ille Iudæos appellet suos, secundùm carnem fratres, & hic, secundùm carnem ab Abrahamo natus esse dicatur.* Ubi crassam argumentorum parium committit fallaciam. Nam quando Paulus Judæos vocat suos cognatos *juxta carnem*, Rom. 9. vers. 3. tum intelligit *juxta carnis prosapiam*, ipsos sibi esse cognatos: siquidem & ipse vir Judæus fuit, & quidem *naturâ*, Actor. 21. vers. 3. & Galat. 2. vers. 15. Quin &

Ismaël

Ismael secundùm carnem natus dicitur, Gal. 4. v. 29. quia non natus fuit per repromissionem, Gal. 4. v. 23. Quare ludit Enjedinus & fallaciâ ambiguitatis, & agit Sophistam.

3. Ait p. 262. 263. *quòd per Spiritum Sanctificationis non intelligatur divina Christi natura, nec aliqua persona.* At, inquam, etsi concedam, divinam Christi naturam, hic non intelligi *per Spiritum Sanctificationis*: tamen nequaquam largiri possum, quòd Spiritus Sanctificationis non notet *suppositum divinum*. Nam hic Spiritus dicitur *alius Paracletus*, Joh. 14. v. 16. At si attributum divinum essentiale esset, & non divina persona; tum non posset dici *alius*: siquidem quoad divinam essentiam, Personæ divinæ sunt *unum*, Joh. 10. v. 30. & 1. Joh. 5. v. 7.

Vindicatio *Rom. 9. v. 5.*

Hîc ἐπὶ πάντων Christus dicitur *Deus super omnia benedictus in secula*. E. est altissimus Deus: quippe qui solus ita dicitur, id uspiam fatente vel Enjedino ipso. Qui ut hoc evidens testimonium obtenebret, urget *Erasmi sententiam*, qui post vocem *carnem, ponit punctum*: & reliqua hæc verba: *Deus benedictus in secula, divellit à Christo, & refert ad Patrem; ut ita ista posteriora verba sint prioribus addenda, velut aliquod epiphonema, quo Deo gratiæ agantur, eò quòd Christum super omnia extulerit.* Quæ est violenta glossa, pugnans cum omnibus exemplaribus & codicibus græcis, in quorum nullo talis distinctio, per *punctum* facta, reperitur; quod adeò verum est, ut ipse etiam Erasmus uspiam fateatur, se in *nullo exemplari, quod quidem ipse viderit, talem distinctionem reperisse.*

Cur ergò eam finxit? Quando autem alibi scribit, *se in Chrysostomo talem distinctionem inveniisse*, fallit. Nam in Chrysostomo non reperitur *punctum*, sed *comma*. Non verò tantùm istam Erasmi divulsionem explodunt omnes codices Græci, verùm etiam eam retundit *scopus Apostoli*, qui est evehere dignitatem & præcellentiam populi Israëlitici. At vel maximè ejus dignitas hinc provenit, quòd ille, qui ex eo populo natus est, non tantùm sit homo, sed & *Deus super omnia benedictus in secula*. Taceo, quòd illam textus divulsionem, diluat & refellat προσδιορισμὸς ille Apostoli: τὸ κατὰ σάρκα: Nam hîc indicat, quòd præter humanam naturam in Christo sit & alia, nempe divina; quæ si in Christo non esset, ineptè iste προσδιορισμὸς & determinatio adjecta fuisset. De homine enim, qui tantùm homo est, non aptè dicitur,

quòd

quòd sit natus ex parentibus *juxta humanam naturam* ; quia nulla alia præter eam in ipso est natura, juxta quam ex parentibus suis non esset natus. Quin & istam textus divulsionem refutat particula, *amen*, quam ideò potuit Apostolus, ut sine adulatione, Deitatis hujus confessionem esse doceret, q. d. Verum est, quòd Christus sit *Deus super omnia benedictus in secula*. Frustra objicit Erasmus, *in græco textu non esse articulum postpositivum, ὁς, sed præpositivum ὁ; qui indicet posteriora verba à prioribus esse discerpenda, hoc exclamationis sensu: Deus super omnia benedictus sit in secula.* Non enim insolens est Spiritui S. articulum præpositivum ponere pro postpositivo seu subjunctivo in sensu ἀναφορικῷ & relativo, ùt vel videre est, Matth. 6. v. 9. & 4. v. 16.

At pro divulsione textus sic objicit Enjedinus p. 265. *Ubicunque hoc elogium legitur, illud semper attribuitur Patri, nusquam Christo, ùt Luc. 1. v. 68 Rom. 1. v. 25. 2. Cor. 1. v. 3. & cap. 11. v. 31. Eph. 1. v. 3. & 1. Pet. 1. v. 3. Et, ut analogia scripturæ salva sit, hic quoq; de eodem intelligendum est.*

℟. 1. Si vel maximè, quod dicit Enjedinus, verum esset, consequentia tamen illa hinc rectè deduci non posset. Nam non omnia Spiritus S. dicit in singulis locis. Etsi igitur (ex hypothesi loquendo) Spiritus S. alibi Christo non adsignasset hoc elogium : salvâ tamen Scripturæ analogiâ, hîc illi id tribuere potuisset: adeoque tribuit.

2. Falsum autem est, quòd alibi nunquam istud epitheton Christo sit additum. Nam vel Rom. 1. v. 25. id ei adscribitur; quippe qui locus loquitur de creatore, Christus autem est creator totius rerum universitatis, Johan 1. v. 3. Eph 3. v. 9. Col. 1. v. 16. & quidem non ùt causa instrumentalis, sed ùt dominus & author, Psalm 102. v. 26 & Hebr. 1. v. 10.

Deinde instat Enjedinus p 266. *etsi nostram textus distinctionem admittas, nil tamen aliud nos hinc consequi, quàm quòd Christus sit super omnia, sit Deus, sit benedictus in secula. Quæ omnia de Christo, utpote alibi quoq; testata, figillatim confiteatur: Ex quibus tamen non sequatur, quòd Christus sit æternus Deus, sed quòd omnibus rebus creatis sit prælatus, quæ ipsi sint subjectæ, excepto tamen Patre, 1. Cor. 15. v. 27.*

℟. Quæ hæc est Enjedini vertigo? Pag. 265. asseveranter dixerat, quòd *esse Deum super omnia benedictum in secula* sit elogium & epitheton, soli altissimo Deo competens; hic vero, p. 266. Christo istud elogium & epitheton tribui, vere asserit, nec tamen Christum vult concedere,

cedere, esse altissimum Deum ? Sanè omnia Christo sub pedes sunt subjecta, excepto Patre : Unde sequitur, quòd Pater Christo (non quà Deus; sic enim Filius, Patri est ἴσος, Johan. 5. v. 18. sed) quà homo est, sit major, Joh. 14. v. 28.

Tandem ex annotationibus Erasmi objicit, *vocem Deus hic suspectam esse; neq; enim eam Cyprianus, Hilarius, & Chrysostomus legerint, sed videatur esse addita ab aliquo divinitatis Christi nimis studioso, & Arrianorũ hoste.*

R. 1. Ex hypothesi: si vel maximè vox *DEVS* ἐπὶ πᾶσι non esset addita: tamen deitas Christi luculentè hinc evinceretur : quia *esse super omnia & esse benedictum in secula*, est elogium soli Deo competens: complectitur enim sublimitatem & cultum divinum.

2. Non sequitur: Quidam authores locum Pauli non citant integrè, sed vocem, *DEVS*, omittunt, E. hæc vox non pertinet ad textum: secus & verba: κατὰ σάρκα non essent de textu: siquidem Hilarius aliquando citat istum Pauli locum, & ista verba omittit.

3. Cyprianus lib. 2. contra Judæos habet vocem *DEVS*: & scopus ejus flagitat hanc vocem ; nam in eo loco probare vult Cyprianus, Christum esse diciq́ue Deum. Hilarius etsi aliquando hunc locum citet sine voce *DEI*: tamen istam vocem habet , lib. 4. & 8. de Trinitate : sicut & Chrysostomus expressè illam habet. Et quidem meritò. Nam viscera textus eam poscunt, & Apostoli antithesis. Quia enim Christus est ex patribus κατὰ σάρκα; ergò vi antitheseως aliquid in ipso est, juxta quod non est natus ex patribus, nempe secundùm Deitatem: secus illa *limitativa* loquendi formula, foret *superflua*.

VINDICATIO *Rom.* 10. *v.* 13.

Hic Christus asseritur *Dominus seu Iehova* , de quo Joël disseruit cap. 2. v. 32. eiq́ue divinus impenditur cultus. E. Christus est altissimus Deus; quia 1. vox *Jehova*, simpliciter & absolutè posita, est nomen solius altissimi, Dei. Quod perperam negat Enjedinus ; cujus negatio destruitur vel ex Esa. 42. v. 8. 2. Quia cultus & invocatio religiosa soli altissimo Deo debetur, Deut. 6. v. 13. & Matth. 4. v. 10.

Enjedinus valdè stomachatur adversus eos, qui hoc argumento utuntur, negatq́ue de Christo Joëlem illam pronunciâsse sententiam. Nam inquit p. 268. *subjicitur statim, illam liberationem & salutem fore Jerosolymis & in Sione. At Paulus Romam & ad Romanos scribebat.* Unde con-

cludit, *non eodem prorsus sensu Ioelem & Paulum esse locutum ; ac proinde, de quibus Ioel & Paulus loquuntur, non esse eosdem, aut inter se æquales : quia alius sit, de quo propriè Propheta ; & alius , de quo tropicè Apostolus illam sententiam interpretatur.*

Rs. 1. Non tantùm Paulus Rom. 10. v. 9. 10. 11. 12. 13. Sed & Petrus Act. 2. v. 16. &c, Joëlis sententiam propriè & disertè de Christo explicant. Ergò de eodem Christo uterque videlicet Propheta & Apostolus verè & propriè est locutus.

Rs. 2. Nec argumentũ Enjedini contrarium evincit. Nam Propheta non tantùm Sionem & Hierusalem *terrestrem* intelligit , sed & *Spiritualem* ; adeoque habet generalem sententiam : *Omnis*, inquit, *qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* : nempe sive Judæus, sive gentilis : *Omnes enim sumus unus in Christo*, Gal. 3 v. 28.

Vindicatio *Rom. 11. v. 36.*

Tres istas distinctas loquendi formulas Paulum hìc adhibuisse, ut indicet *tres divinas Personas* , non ineptè asseritur. Nam ipse merita nostra hoc etiam argumento destruit ; quoniam *ex illo , & per illum , & in illum sunt omnia.*

Quia ergò causæ nostræ justificationis sunt Pater, Filius & Spiritus S. & de Filio cumprimis ista loquendi formula usurpatur : *per illum* : hinc sine errore dicimus, quòd Paulus *tres Deitatis Personas* insinuârit. Committit igitur Enjedinus p. 269. elenchum à *particulari*, & fallaciam *parium*, quando ex aliis dictis probare contendit, quòd omnes istæ loquendi formulæ Patri assignentur. Hìc enim , uti dixi, emphaticè Paulus voluit *Deum trinunum*, nostræ salutis fontem indicare. Quòd si autem Filium & Spiritum S. simul non intellexisset, imperfectè disseruisset.

Vindicatio *Rom. 14. v. 15.*

Duplex hinc desumitur pro Deitate Christi argumentum 1. Quia ipse asseritur esse *Jehova* , de quo sermo est Esa. 45. v. 23. 2. Quia ipsi *omne genu tenetur se flectere, & omnis lingua debet ipsi confiteri.* Qui est divinus & religiosus cultus, soli altissimo Deo competens. Et proinde Enjedinus perperam agit, quando hæc argumenta detorquere studens, ait p. 270. 271. *non hìc agi de eo , quòd Christo flectenda sint genua.* Nam Paulus

Paulus id sonorè asserit hîc, ùt & Phil. 2. v. 9. 10. 11. Quin etiam errat Enjedinus, dicens, *IEsu Christo flectenda esse omnia genua non tanquam primario & præcipuo, sed tanquam constituto & ordinato: sicut & Apostolis omne genu se flectere debeat, utpote sessuris in thronis tempore judicii & judicaturis mundum, Luc. 22. v. 30. qui tamen Deo æterno non sint æquales.* At, inquam ego, Paulus testatur, Christum esse eum ipsum Jehovam, qui Esa. 45. loquitur. Quare ipsi flecti debent omnia genua, ùt *Domino supremo*. Exemplum ab Apostolis petitum est dispar, quia illi judicabunt mundum, non ùt Christus, (quippe qui est universalis à Deo constitutus *Judex* vivorum nempe & mortuorum, Act. 10. v. 42. & 1. Pet. 4. v. 5.) sed ùt ejus *ministri* & quidem suo *Evangelio* & suffragio. Quare nusquam in verbo Dei legitur, quod ipsis omnia genua sese incurvare teneantur.

Vindicatio 1. *Corinth.* 1. v. 2.

Hinc resultat hoc argumentum: Nomen Dei nostri Jesu à *credentibus invocatur* in quovis loco. E. Christus est altissimus *DEVS*: quippe cui soli religiosa invocatio debetur.

Enjedinus varias conquirit verbi ἐπικαλέομαι significationes p. 272. & p. 273. scribit, *ex illis verisimiliter colligi, etiam hîc per invocantes nomen Domini, intelligi simpliciter Christianos, Iesu nomen profitentes.* Sentiens verò, hanc glossam inferre vim textui (quippe qui loquitur de *Sanctificatis* per Christum Jesum, qui ipsum non tam nominant, quàm *religiosè invocant*,) propterea addit, quòd *Christus possit invocari non tanquam Deus æternus, sed ùt mediator, Pontifex & caput nostrum.* Qui est elenchus oppositorum longè crassissimus. *Mediator* enim noster est altissimus Deus, & religiosa invocatio, & cultus, non nisi æterno Deo debet impendi, Deut. 6. v. 13. & Matth. 4. v. 10.

Vindicatio 1. *Corinth.* 1. v. 24.

Oritur hîc inde Syllogismus: Sapientia Dei est æterna, Christus est sapientia Dei. E.

Occinit Enjedinus p. 274. *propositionem non esse universaliter veram; quia non omne id, quod vocetur Sapientia Dei, sit æternum: præterea esse 4. terminos; quia Sapientia in propositione accipiatur pro proprietate Dei: in minore verò Christus figuratè dicatur, Sapientia Dei: quoniam Deus per illum patefecit suam sapientiam.* Quin & reponit hujusmodi syllogismos: *Virtus DEI est æterna. Verbum crucis & Evangelium sunt virtus Dei, 1. Corinth. 1. v. 18. &*

Rom. 1. v. 16. E. Item: *Justitia & Sanctificatio piorum est finita. Christus est justitia & Sanctificatio piorum. E.*

℟. 1. Ludit Enjedinus æquivocationibus. Nam quando Christus dicitur *Sapientia Dei*, tùm vox Sapientiæ sumitur ὑποστατικῶς: Intelligitur enim *Sapientia per se subsistens*, vivens, intelligens, & loquens, uti liquet ex Prov. 8. v. 22. & seq Luc. 11. v. 49. Firma ergò est propositio: Sapientia Dei (ὑποστατικῶς sumta) est æterna.

2. Falsum est, hic Sapientiam sumi pro *attributo & proprietate Dei*. Christus enim est illa *Sapientia*, non figuratè, sed sine figurâ & tropo; sicut & est δύναμις Dei Patris propriè.

3. Committitur fallacia parium in primo dato Syllogismo. Nam non in sensu pari & eodem, verbum crucis & Evangelium dicitur potentia Dei, & deinde Christus; Illud enim sic dicitur, quia est *potens Dei organum*, per quod Deus potenter in hominibus agit: hìc verò dicitur Sapientia Dei, nempe *per se subsistens*.

4. Falsum etiam est, quando Christus dicitur nobis factus justitia & sanctificatio, quòd tum intelligatur justitia & sanctificatio *finita*. Absit! Hæc enim *finita* justitia & sanctitas nos ab æternis pœnis redimere nequeunt. Christus igitur justitia & sanctitas (loquendo de imputativâ) est *infinita*, & *immensum* robur habet.

Vindicatio 1. *Corinth* 2. v. 10.

Hinc talem extruimus Syllogismum: Qui omnia scrutatur, etium profunda Dei, ille verus & æternus Deus est. At Spiritus S. *omnia scrutatur*, etiam profunda Dei, E.

Regerit 1. Enjedit p. 275. *si totum hoc argumentum concedatur, sequi, omnem pium hominem intra se conclusum habere Spiritum S. æternum Deum, utpote, quem dicamur accepisse.* At, inquam, hoc nullatenus sequitur, sed tantùm, quòd Spiritus S. in piis hominibus sit, & quidem non per *conclusionem & inclusionem*, sed divinam & benignam *inhabitationem*.

Deinde p. 276. opponit, *posse etiam de veritate Majoris dubitari: quia etiam homo, Spiritu Dei instructus, possit scrutaria omnia, etiam profunda DEI: siquidem Christus omnia, quæ apud Patrem viderit & audiverit, Apostolis patefecerit, Iohan. 15. v. 15. qui tamen propterea non habendi sint verus & æternus DEVS.*

℟. Major est verissima: quia *scrutari omnia, etiam profunda DEI,* requi-

requirit omnisapientiam. Apostolus enim disserit de mysteriis æternæ nostræ salutis, nulli homini citra revelationem divinam, perspectis; *Nobis autem*, inquit v. 10. *Deus revelavit per spiritum suum.* Quia autem nemo, nisi omniscius, ista mysteria æternis seculis tacita, *ex sese* novit, ideò describit istum Spiritum ab omniscientiâ v. 10. & illustrat à *Spiritu hominis*, v. 11. Et licet Christus omnia ad salutem necessaria, Apostolis annunciârit: non tamen debent scrutari & nosse omnia, etiam abyssos & profunditates Dei. Nec *omnia* hic, ùt garrit Enjedinus, *restringitur*, sed *sine restrictione* ponitur.

VINDICATIO 1. *Cor.* 3. *v.* 16. & 6. *v* 19. & 2. *Cor.* 6. *v* 16.

Resultat hinc tale argumentum: Qui habitat in omnibus piis, in toto terrarum orbe diffusis, ille est altissimus Deus. Nulla enim per se subsistens creatura omnipræsens esse potest. At Spiritus S. habitat in omnibus sanctis seu piis, &c. E. Sophistam igitur agit Enjedinus p. 277. & frustra ait p. 278. *Deum in homine habitare figuratè & mediatè: Spiritum S. propriè & immediatè.* Quod discrimen est falsum. Etsi enim Deus ipse in hominibus piis non habitet *physicè & localiter*: tamen *sine tropo & figurâ* in iis dicitur habitare: quemadmodum *sine figurâ* dicitur in iis esse. Rom. 8 v. 10.

VINDICATIO 1. *Corinth.* 8 *v.* 6.

Hic Christus absolutè & simpliciter asseritur esse *Deus & Dominus*, (quemadmodum enim, cùm Christus dicitur *Dominus*, à Domino non excluditur *Pater*: sic cùm Pater dicitur *DEVS*, à Deitate non excluditur *Christus*.) oppositus *omnibus Diis* λεγομένοις *& nuncupativis*: & *omnia* omnino dicuntur esse per Christum, nempe creata. E. est altissimus Jehova: quippe qui solus absolutè & simpliciter dicitur Deus & Dominus: & solus est creator mundi.

Opponit Enjedinus p. 279. *Christum in alio sensu dici Deum & Dominum, quàm Pater dicatur, quippe qui excellentiori modo sit Dominus: & per Deum Patrem esse omnia aliter, quàm per Christum, utpote qui instrumentum Dei fuerit.* Negat etiam p. 280. *vocem, omnia, hic sumi universalissimè, pro totâ rerum universitate; siquidem restringenda sit ad Christianos & Ecclesiam v.* 6. Hæc ille, quæ meræ sunt corruptelæ malitiosæ; Christus enim tam est *Deus, & Dominus*, quàm Pater, quippe cui est ἰσοθεότης, Johan. 5. v. 18.

Unde & Christus dicitur *Dominus gloriæ* 1. Cor. 2. v. 8. & *Dominus de cœlo*, 1. Cor. 15. v. 47. & *Dominus dominantium*, 1. Tim. 6. v. 15. & *Dominus Dominorum*, Apoc. 17. v. 14. & 19. v. 16. Quin & Christus, ut *Dominus*, & non ut instrumentum, *omnia creavit*, Heb. 1. v. 10. *Omnia*, inquam, universaliter, adeò ut cœli, terræ, angeli etiam hic nominentur, Psal. 102. v. 26. Heb. 1. v. 10. seqq. & Col. 1. v. 16.

Nec rationes Enjedini, quæ pag. 280. leguntur, vocem, *omnia*, à suâ hâc *illimitatâ* universalitate hic depellunt, ut quilibet cordatus animadvertet.

Vindicatio 1. *Corinth.* 10. *v.* 4.

Christus est Petra, quæ Israëlitas comitata est. E. Christus tempore Israelitarum extitit, & non demum existere cæpit in Mariâ Virgine.

Opponit Enjedinus p. 282. *Christum esse, id est, significare petram, jam verò non necesse sit, ut ille revera tum existat, quando per aliquid fuit significatus & denotatus.* Quæ glossa & explicatio ἓξ est, per τὸ *significat*, profluxit ex scholâ Calvinistarum, sed facilè ex textu retunditur. Nam Christus hic non dicitur fuisse Petra lapidea, suo loco immobilis, sed *Petra illa Spiritualis*, comitata Israelitas: quæ Petra non significativè, sed revera fuit & est Christus, teste Petro, Matth. 16. v. 18.

Vindicatio 1. *Corinth.* 10 *v.* 9.

Hic Judæi dicuntur *Christum in deserto tentâsse*. E. ille tempore Israelitarum extitit, ut Deus, qui tentari à nobis minimè debet. Mirum est, quod Enjedinus excipit, pag 284. *Paulum non dicere, quòd Israelitæ Christum tentârint, sed quòd tentârint i. e. tentationem fecerint; vel si transitivè libeat illud verbum accipere, quòd tentârint Deum.* Nam verborum Pauli claritas istam glossam statim diluit. Quandoquidem ait: *Neq; tentemus τὸν Χριστὸν, Christum, sicut & quidam illorum tentâruut*, nempe Christum: siquidem Christum non esse tentandum, sicut & Judæi ipsum tentârint, docet Paulus.

Frustra garrit p. 285. *Christum notare unctum. At unctio pertineat ad corpus, quod tamen in V. T. nondum extiterit.* Nam Christus est nomen personæ totius. Sic dicimur ab æterno electi in Christo, Eph. 1. v. 4. Neque tamen caro Christi fuit ab æterno.

Deinde excipit, *Christum esse tentatum in figurâ, hoc est, in re aliquâ Christum*

Christum repræsentante & significante, v.g. *in Mose*. At & hæc glossa pugnat cum textu. *Neq;*, inquit Paulus, *tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentârunt*. Hîc Paulus vetat tentationem veram & realem, non significationem illam.

Tandem & sic excipit p. 285. *vocem Christi esse generalem, & omnibus regibus ac ducibus attribui solere: Posse ergò nos dicere, Iudæos tentasse Christum nempe suum*, v.g. *Mosen*. At Paulus non loquitur de tentatione Mosis, sed Christi, quem à Mose distinguit, v. 2. &c.

VINDICATIO 1. *Corinth.* 12. *v.* 4.

Enjedinus concedit, *hîc duorum fieri mentionem Spiritus & Dei Patris, quem* putat *nomine Domini etiam notari*. At sine errore per *Dominum* hic Christus intelligitur, ùt innuit v. 3. Spiritus S. autem Deitas hinc sic probatur: Qui omnibus sanctis confert sua χαρίσματα, & *omnia in omnibus operatur bona*, is est divinum hyphistamenon. Nulla enim Creatura id facere potest. Spiritus S. omnibus Sanctis cõfert sua χαρίσματα, &c. Absurdè igitur Enjedinus negat, Spiritum S. esse divinam ὑπόστασιν, & contra asserit esse *vim & potentiam Dei*, *suâ personalitate destitutam*. Quam sententiam ex seq. dicto refellam.

VINDICATIO 1. *Corinth.* 12. *v.* 11.

Qui omnia χαρίσματα & dona, à Paulo recensita, efficit, & *dividit* peculiariter *unicuiq; prout vult*, is est divina persona intelligens & volens. Siquidem est *DEVS* ipse altissimus. Nullus enim vel angelus, vel homo talia dona efficere potest. At Spiritus S. omnia, χαρίσματα &c. E. Ineptè ergò regerit Enjedinus p. 289. quòd *& accidentibus per* προσωποιΐαν actiones tribuantur. Nam hic divina actio, & volitio Spiritui *S. propriè* tribuitur. E. arguit Deum altissimum.

VINDICATIO 2. *Corinth.* 3. *v.* 17.

Hìc Spiritus *S.* absolutè & simpliciter dicitur *Dominus*, & v. 18. ei tribuitur divinus effectus, nostri nimirum *ad imaginem Dei transformatio*. E. est altissimus Deus.

Regerit Enjedinus p. 290. 291. *quòd hic Spiritus non dicatur Dominus, sed Dominus i. e. Christus, dicatur Spiritus, i. e. author Spiritus, seu anima legis*: (Calv. Piscat. Beza per Dominum, *Christum* intelligunt.) At nulla nos cogit necessitas, ut à patribus desciscamus, qui per Spiritum hîc intellexerunt Spiritum *S.* Nec discedendum est à literâ, quando Spiritus *S.* inde non recedit. At hîc à literâ non recedit. E.

VINDI-

VINDICATIO 2. Corinth. 4. v. 4.

Hic Christus dicitur *Dei imago*, nempe essentialis & substantialis, Heb. 1. v. 3 E. est Deo Patri coëssentialis.

Enjedinus reget t p. 292. *Non statim, qui imago Dei sit, cum eo in essentialibus participare: quia & homo sit imago Dei.* Deinde addit, *quòd imago non identitatem, sed potiùs diversum quid, & semper vilius eo, cujus est aut dicitur imago, denotet.* Sic & p. 293. opponit, *quòd imagini Christi debeamus esse conformes; neq; tamen ejusdem cum Christo simus essentiæ.*

R. 1. Confundit imaginem Dei *substantialem*, quæ est Filius Dei, utpote ipsa Dei Patris *virtus & sapientia*, & *accidentalem*, quæ est homo. Imago accidentalis est etiam vilior eo, cujus est imago.

2. *Imagini crucis* Christi tenemur esse conformes, ut fiamus consortes *imaginis hujus*. Quare Christus, ùt homo, nobis est ὁμοούσιος, Heb. 2. v. 14.

VINDICATIO *Gal.* 1. *v.* 1.

Duplex hinc fluit pro comprobandâ Christi Deitate argumentum. 1. Quia Paulus Christum opponit homini, nempe *nudo*. E. indicat, Christum non tantùm esse hominem, sed & DEUM. Angelus enim creatus non est: angelos namque non assumsit, Heb. 2. vers. 16. 2. Quia asserit se à Christo ad Apostolatum vocatum: quæ vocatio est immediata, & *soli Deo* competit, 1. Cor. 12. v. 28. Potissimùm excipit Enjedinus p. 294. 295. *opponi Christum hominibus omnibus in terrâ viventibus non ratione materiæ, sed conditionis: quia Christus præsertim post ascensionem ad cœlos fuerit è communi hominum sorte exemptus, & longè excellentior non modò hominibus, verùm etiam angelis factus.* Quæ est crassa fallacia causæ. Si enim illa est oppositionis istius causa, tum Christus tantùm homo erit, ratione *essentiæ*. Et sic Paulus à sui vocatione per Christum factâ non probaret sui *merè divinam* vocationem, eamque *immediatam*. Vocatio enim, quæ fit per homines, est *mediata*. Quin etiam Apostolus sui ad *Apostolatum* vocationem hinc non probaret; quippe ad quem *Deus solus* aliquem olim misit, sine interventu hominum causali. Hinc reliqua Enjedini sophismata facilè retunduntur.

FINIS DISPVT. VI.

POSTHVMVS
BEATI D. JUSTI FEURBORNII
ANTI-ENJEDINUS,
SEU
VINDICATIONES LOCORUM
SACRORUM,
Quæ corrupit
ENJEDINUS
QUARUM
DISPUTATIONEM SEPTIMAM
SUB PRÆSIDIO
Viri Maximè Reverendi, Amplißimi atque Excellentißimi,

DN. PETRI HABERKORNII,

SS. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS IN ALMA LUDOVICIANA Celeberrimi, Pastoris ac Superintendentis Giessensis Vigilantissimi, DN. Patroni, Præceptoris, ac Hospitis omni observantiæ cultu ætatem devenerandi.

Examini publico subjicit

M. JOHANNES LYSERUS,
LIPSIENSIS.

In Auditorio Theologico, Die 5. Martii.

GIESSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad.
Typographi Ordinarii, M. DC. LIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0169
DFG

VIRIS.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis.

DN. AUGUSTINO Strauchen/
JCTO FAMIGERATISSIMO COMITI
PALATINO CÆSAREO, Serenissimo ELECTORI
SAXONIÆ in Appellationum judicio à Consiliis,
nec non Antecessori in Academiâ Witebergensi Facultatisque Juridicæ Ordinario Gravissimo,
nunc ejusdem Illustrissimæ Serenitatis
ad Comitia Francofurtensia
LEGATO Eminentissimo.

VT ET

DN. POLYCARPO Heylandten
JCTO NOMINATISSIMO, ILLUstrissimi Principis ac DN. DN. AUGUSTI, Ducis
Brunswicensium & Lûneburgensium Consiliario Spectatissimo, & ad Comitia Deputatorum
Francofurti ad Mœnum LEGATO
Splendidissimo.

CONSANGVINEIS MEIS OBSERVANDISSIMIS,
MOECENATIBVS MAXIMIS.

Isthoc

Quamvis exiguum & chartaceum

Magni tamen affectûs, summi cultûs atque devotæ pietatis

MONVMENTVM

L. M. Q.

Prævio felicissimi gravissimorum consiliorum successus voto

DEDICAT CONSECRAT.

M. JOH. LYSERUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0170
DFG

EXIMIO ET ERVDITISSIMO,

DN. M. JOHANNI LYSERO,

Amico suo & Fautori dilectissimo & singulariter honorando, ita:

Theologum longâ Magnorum pro sate stirpe,
Æmulo & insignis Genitorum, laude Celebri
Qui in Domini templo fulgent ceu sidera cæli,
Mi Lysere *meæ mensæ nunc portio grata,*
Et splendens nostri cumprimis gemma Lycæi,
Circumfers γνῶσιν constanti corde profundam,
Ex sermone DEI, multo sudore paratam;
Splendida ut hincce tuæ doctrinæ germina passim,
Officiiq; feras præludia certa futuri.
Vnde & nunc resonant Gissensia *pulpita linguâ*
Doctâ subtiliq; tuâ, quâ dogmata profers
Enthea, & exculto rectè sermone tueris.
Gratulor ex animo, & tibi prospera quæque precari
Haud cesso, atque pio de pectore ritè vovere,
Vt sit Lyserus Domino firmata Columna!

Animo toto congratulari voluit,

PETRUS Haberforn/ D.

AD PER-EXIMIUM,

DN. M. JOHANNEM, Beati POLYCARPI, Ecclesiast. Primar. Aul. Elect. Sax. NEPOTEM; Beati POLYCARPI Professor. Theologi & Superint. Lipsi. FILIUM, LYSERUM &c. Amicum & Conterraneum suum, contra *Enjedinum* publicè disputantem.

Sacra Parens & Avus *parserunt* semina *mundo*,
Doctorum titulis mactu utercq; Tuus:
Semina, *quæ* segetes *lætas Ecclesia vidit*
Fundere, quas fructu *messuit æthereo.*
Has sequeris laudes, Fructus, præclare Magister,
Et sacri fundi, Te recolente, *dabunt.*

Perge

Perge ita pressa sequi Illorum *vestigia, famam*
Sic referes & Avi, sic referesq; Patris;
Proventuq; feres multos *sic ubere* Fructus;
Nomine si non, re sic πολύκαρπος eris.

Honoris & benevoli affectus ergò facieb.

GEORGIUS TULSNERUS, V. J. D.
Consiliar. Hass. Darmst. & Profess. Cod. Ord.

Magni nominis Theologorum,
DN. DD. POLYCARPORUM LYSERORUM, Nepoti
& FILIO ἐφαμίλλῳ.

THeologûm stellæ *Lyseri*, lumina magna,
Effulsêre diu, divinam lampada verbi
Saxoniæ dantes nitidi, nunc lampada præbent
Lætâ *Lysero tibi* luce; sacrata dabuntur
Dogmata prælucente tuâ nunc lampade, splendet
Inque vices vicibus ductus Lyserinus Ambo;
Splendeat in longos ambones fulgida stella;
Splendeat, & splendens cyclos repetatque petatque.
Majorum signare solet pia vota precesque
Numen, & in vobis signata fuisse repertum.
Stemmatis en Vestri *Polycarpus* magna columna,
Qui *fructum multum* divini semine verbi
Fecit, nec cessant frugescere parcius agri.
En renovatus ager gravidis exultat aristis.
Aggredere ô magnas, aderit jam tempus, aristas;
Emete, nec metuas, occa; en seges altera præsto est,
Doctoreâque feres prælongos messe maniplos.
Nil *in Lyseris* humile est, sunt omnia celsa,
Celsius ut surgat nomen, sunt vota *Ditrici*.

Vid. Votũ proavi apud Polycarpum Lyserum in schol. Babyl. p. 93.

M. JOH. CUNRADUS DIETRICUS,
Græc. Linguæ & Histor Professor.

CAndida Majorum *pietas mihi cernitur in* TE,
Et Doctrina DEI *de Numine, clara per orbem.*
Hinc animo Lysere *meo, hæc sententia surgit:*
Addes nominibus Patrum *tua Nomina Magnis.*

MICHAEL SIRICIUS SS. Theol. Lic.
& Profess. Publ. Extraord.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0172
DFG

BONO CVM DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII ANTI-ENJEDINI,

DISPUTATIO VII.

Resp. M. JOHANNE LYSERO, Lipsiensi.

VINDICATIO *Galat.* 4, *v.* 4.

HINC tria pro Deitate CHRISTI hauriuntur argumenta. 1. Quia dicitur *Filius Dei*, nempè μονογενὴς καὶ ἴδιος. 2. Quia dicitur nos redemturus à legis maledictione, ut υἱοθεσίαν consequamur. Qui est effectus *infinitæ* virtutis, & *divinæ* majestatis. 3. Quia dicitur *emissus à Patre*, nempe ad carnem assumendam. E. ante emissionem & ablegationem istam, adeoque ante incarnationem verè & realiter extitit, ùt verus Deus. Emissio enim hæc non fuit ablegatio, quâ superior inferiorem, sed potiùs Dei Patris actus, quo filium sibi *coëssentialem* in mundum misit: Proindeque ille fuit missus non ùt servus à Domino, vel inferior à superiore, sed (ùt ait Cyrillus lib. 4. in Johan. cap. 42.) *ut Verbum ex mente, ùt splendor solis ex sole, ac generaliter, ùt fulgor ex refulgente.* Confer Fasc. 3. p. 128. 129.

Duo priora argumenta relinquit Enjedinus intacta: tertium verò offuscare desudat.

1. Ait pag. 296. *Aliter de actionibus Dei & creaturarum esse loquendum & sentiendum. Ac proinde, quamvis creaturæ non possint, nec soleant mittere quenquam, nisi qui ante extiterit: de Deo tamen aliter esse cogitandum. Nam ipse vocet ea, quæ non sint, tanquam sint & possit aliquem simul mittere, & eodem momento ex nihilo creare, ita ut nativitas & missio simul fiat.*

℟. 1. Est elenchus parium. Nam vocat quidem Deus ea, quæ non sunt, ut sint, h. e. voce seu verbo & mandato suo creat, quæ antea non fuerunt, Gen. 1. v. 3. & Psalm. 33. v. 9. At nuspiam in Verbo suo Deus dicitur *misisse* eum, qui ante missionem non *extitit*, ut probat inductio dictorum Scripturæ.

2. Missionem Paulus præmisit nativitati Christi. Sic enim formatsuum stylum: *At postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub legem.* Quemadmodum igitur *post sui missionem* factus est sub *legem*, quoad ipsam decreti divini executionem: ita & postillam fuit *ex muliere* factus. Quod postea concedit Enjedinus inquiens p. 296 *Concedimus, eum, qui mittitur, oportere prius existere, concedimus etiam Christum ante, quàm mitteretur à Deo, revera extitisse: sed quærendum restat, quando Deus Christum miserit?*

Quare 2. excipit pag. 297. *Emitti non esse nasci, sed potius cum certis mandatis ablegari.* Asserit ergò, *Christum etiam à Deo Patre emissum, non tunc, cùm genitus, & in utero matris formatus, aut in lucem editus est, (quia 1. hîc Paulus habeat vocem præteriti temporis γενόμενον; & sensus sit: Misit Deus Filium suum, jam genitum & procreatum ex muliere. 2. Quia Christus Ioh. 17. dicat, se Apostolos missurum in mundum, quemadmodum ipse fuerit missus à Patre. At Apostoli ante missionem fuerint nati,) sed quando concionari incepit publicè, nempe anno ætatis trigesimo, post baptismum Iohannis. Quoniam 1. Paulus hîc dicat, missum esse Filium Dei, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. At eos redemerit Evangelium annunciando & moriendo. E. 2. Quia Christus ipse id testetur, Luc. 4. v. 18. 19. 20. 21. 43.*

℟. 1. Concedo, τὸ *mitti* distinctum esse à τῷ *nasci*: quia Paulus illa duo, ut prius & posterius ponit.

2. Falsum est, quòd Christus non fuerit missus ante suam ex Mariâ Virgine nativitatem. Nec contrarium probant rationes Enjedini. Non *prima*: Nam etsi Paulus ponat vocem γενόμενον, *factum*, indicat

dicat tamen non quidem, quòd ante sui missionem Filius Dei factus sit ex muliere, sed post illam. Siquidem ipse Christus ait, Johan. 16. v. 28. *exivi à Patre, & veni in mundum.* Priùs ergò *exivit à Patre*, & deinceps *venit in mundum.* Exivit verò à Patre *missus*, & venit in mundum, *nascendo* ex muliere. Priùs igitur extitit & missus est, quàm natus est ex Mariâ virgine. Non *secunda*: quia quando Christus sui & Apostolorum missionem in similitudine comparat, tum illa similitudo non ultra mentem Christi est extendenda, sed juxta eam exponenda. Sensus enim est: quemadmodum ego sum missus à Patre & proinde divinâ authoritate; & sic à me ipso, ùt αὐτοκλήτος non veni: ita & ego mitto vos, nimirum divinâ authoritate: & proinde neque vos estis αὐτόκλητοι, sed divinam vocationem habetis.

3. Falsum est, quòd Christus tum demum cum mandatis sit à Patre *emissus*, quando publicè *post baptismum* Johannis prædicare cœpit. Confer Joh. 10. v. 18. & 12. v. 49. & 14. v. 31. Certè priùs *exivit Filius Dei à Patre*, quàm *in mundum venit*, nempe per assumtionem carnis. Exivit enim non, ùt αὐτοκλήτως, sed ùt Angelus & Legatus Dei, qui habet à legante certa mandata. Nec obstant contrariæ rationes Enjedini: Non *prima*: nam ipsa redemtio hîc ponitur, ùt finis & consequens ipsius etiam emissionis Filii Dei. E. emissio ante hanc redemtionem fuit facta: quæ etiam à doctrinâ Christi est distinguenda. Redemit enim nos Filius Dei, pro nobis & vice nostri legem implendo, & moriendo. Per doctrinam verò suam seu docendo Christus redemtionem annunciavit. Si docendo nostri facta est redemtio. E. & Prophetæ & Apostoli nos redemerunt, quia nos docent. Nec *secunda*: quia confundit ipsum missionis actum cum ejusdem complemento: quod hîc describitur.

VINDICATIO *Galat. 4. v. 8. 9.*

Hîc Christus dicitur Deus talis, qui est oppositus Diis μὴ φύσει *non naturâ & substantiâ* sc. existentibus. E. Christus est φύσει Deus.

Enjedinus negat, (ut reliquas ejus ineptias præteream) *v. 9. per Deum intelligi Christum, & asserit, tantùm intelligi Patrem.* Quæ est vitiosa oppositio. Nam Christum hic simul comprehendi, constat 1. *Ab Apostoli scopo & effecto*, qui fuit, Galatis Christum (& non solum Patrem) ante oculos depingere; sicut & fecit, Galat. 3. v. 1. E. ex prædicatione

Pauli Galatæ simul cognoverunt Christum. 2. *Ab Evangelii naturâ.* Prædicavit enim Galatis Evangelium c. 1. v. 11. quod est revelatio Filii Dei, v. 15. 16. 3. *A recidivâ Galatarum.* Nam passi fuerant se à Christo transferri in aliud Evangelium. E. ante suam recidivam, Christum cognoverunt. 4. *Ab ὑιοθεσίᾳ Galatarum.* Nam ante suum relapsum fuerunt regenerati filii Dei, Galat. 4. v. 19. At fuerunt filii Dei per fidem in Christum, Galat. 3. v. 26. 5. *A naturâ & proprietate cognitionis, Galatis adscriptæ.* Quando enim Paulus dicit: *Nunc postquam cognovistis Deum &c.* intelligit cognitionem fidei justificantis. Quæ esse nequit sine notitiâ Christi, eâque fiduciali. Vide Johan. 14. v. 1. & 17. v. 3. Quare solus Christus est quasi speculum, per quod videmus Deum, & ejus voluntatem cognoscimus. Plura de his locis vide in nostro commentario super epistolam ad Galatas. Confer Lutherum in cap. 4. ad Galat. pag. 336.

Vindicatio *Eph. 4. v. 8. 9. 10.*

Hunc locum vindicavi disp. 23. Tom. 7. Gissen sis.

Vindicatio *Phil. 2. v. 5. &c.*

Hoc testimonium explicavi Fasc. 3. dissert. Theologicarum: unde sophismata Enjedini facilè possunt discuti & dissolvi.

Vindicatio *Col. 1. v. 15. &c.*

Locus hic est unus ex præcipuis, unde deitas Christi clarissimè probatur. Nam

1. Hic Christus dicitur *imago Dei inconspicui.* Intelligit autem Apostolus imaginem non accidentalem & artificialem, quæ non est ejusdem cum exemplari essentiæ: sed *naturalem seu substantialem & essentialem.* Est enim expressa *imago substantiæ* Dei Patris, Heb. 1. v. 3. Est λόγος i. e. *ratio & verbum Patris,* Johannis 1. Estque *Patris sapientia & potentia,* 1. Cor. 1. v. 24. Quare in personâ Filii Dei relucet absolutissimè & perfectissimè Patris omnipotentia, omnisapientia, &c. Seth dicitur imago Adami, Gen. 5. vers. 3. certè non artificialis, sed naturalis.

Theoph. hic ait, quòd Angelus non dicatur *imago Dei. Illic enim,* inquit, *angelicæ naturæ altitudo statim ad impietatem homines præcipitâsset, existimantes, ejusdem esse dignitatis angelum cum Deo. In homine autem tenuitas & humilitas munit nos firmatás, ne tale quiddam suspicemur.*

Ad hoc

Ad hoc primum argumentum regerit Enjedinus p. 337. *quòd sit vana imaginatio; quia Paulus loquatur de Christo, ut homine, sicut constat ex v. 14. Pronomen ergò, qui, v. 15. referre eum, qui sanguinem effudit. At divinitas illa æterna sanguine careat. Non ergò illum dici imaginem Dei. Et fateamur nos ipsi, Christum in tempore accepisse corpus & sanguinem. Vnde pateat, non de aliquo æterno, sed de eo, qui certo tempore initium habuerit, hoc in loco agi, & eum esse imaginem Dei.* Hæc ille, crassam committens oppositorum fallaciam. Opponit enim eum, qui *sanguinem* effudit, & qui est *substantialis* imago Dei Patris: cùm tamen sit una persona, Deus & homo, ὁ λόγος enim factus est caro, Johan. 1. v. 14. & sanguinis nostri est particeps factus, Heb. 2. v. 14. Quin & habet Enjedinus loquendi formulas haud cautas & probas: quasi nos dicamus, deitatem habere sanguinem, deitatem esse imaginem Dei. Potiùs his utimus phrasibus: Deus *sibi proprium* habet sanguinem, Actor. 20. v. 28. & Christus est imago Dei (Patris,) 2. Cor. 4. v. 4.

2. Pro Deitate Christi sic hinc colligimus: Christus est πρωτότοκος πάσης κτίσεως, primogenitus omnis creaturæ i. e. genitus ante omnes creaturas. E. est æternus Deus. Nam ante secula, a... ante montes &c, est descriptio æternitatis, Psal. 90. v. 1...

Regerit Enjedinus 1. *vocem εἰκὼν conjungi posse cum voce* πρωτότοκος, *hoc sensu: Christus est imago Dei inconspicui primogenita i. e. primæ seu præstantissima omnis creaturæ.* Quæ constructio non potest admitti: quia 1. Christus à creaturis, ut *creator* distinguitur, v. 16. 2. Nulla creatura in verbo Dei dicitur *imago Dei*, præter hominem. Homo igitur non tantùm *præstantissima* inter creaturas est imago Dei, sed etiam *unica*. 3. Ipse Enjedinus p. 337. tandem istam verborum conjunctionem rejicit.

Proinde 2. excipit, *si vel maximè vera sit nostra exegesis, primogenitus omnis creaturæ, i. e. genitus ante omnes creaturas: nil tamen aliud inde sequàm Christum primò creatum, & conditum esse à Deo, non autem, quòd sit æternus, & principio carens.*

R. Committit fallaciam parium. Non enim pariter se habent πρωτότοκος πάσης κτίσεως, & πρωτόκτιστος πάσης κτίσεως. Prior enim phrasis primogenitum ex *numero creaturarum* eximit: posterior primò creatum *inter creaturas* ponit: Certè, quia primogenitus est ... cum his, quorum est primogenitus; si Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, i. e. primo creatus, in numero creaturarum, tũ omnes

creaturæ cum Christo erunt ὁμοούσιοι. Quod est blasphemum dicere. Vide Chrysost. & Theoph. super hunc locum.

3. Conatur Enjedinus *discrimen inter primogenitum & primò creatum tollere, & eorum ἰσοδυναμίαν his argumentis probare. Quia* 1. *Deut.* 32. v. 18. *scriptum sit: Deum, qui te genuit deres quisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et Gen.* 2. v. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt.* 2. *Quia alibi Christus dicatur creatura. Quod primò pateat ex collatione locorum istorum. Nam*, inquit, *ad Rom. cap.* 13. v. 14. *&c.* Vide textum Enjedini.

R. Laterem lavat hîc Enjedinus. Nam 1. Deut 32. vers. 18. & Gen. 2. v. 4 non est sermo de generatione ex *substantiâ* generantis, sed partim de *spirituali regeneratione* & adoptione hominum in filios Dei, partim de rerum *originibus* seu ortibus, qui dicuntur generationes per Metaphoram. At Christus dicitur πρωτότοκος sine tropo.

R. 2. Corrumpit Enjedinus locum Pauli Rom. 13. v. 14. Non enim ibi Paulus ait: *Induamini novum hominem Iesum Christum*: sed, *induamini Iesum Christum* i.e. verâ fide vestem & thoracem justitiæ Christi induite. Nec per *novum hominem* intelligitur Christus, Eph. 4. v. 10. & Col. 3. v. 10. sed homo, prout primitus juxta Deum fuit conditus in justitiâ & sanctitate veritatis, sicut litera textus Paulini apertè ostendit.

3. Fatetur ipse Enjedinus, *quòd locus Esa. 45. v. 8. mysticè de Christo intelligatur.* Propriè enim & literaliter loquitur de rege Cyro. Etsi ergò de isto rege ipsiusque negocio dicat Jehova: *Ego creo illum, seu illud*: non tamen de Christo ut Deus est, id verificari potest.

4. Apoc. 3. v. 14. Christus dicitur ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, principium i.e. origo & author sive creationis, sive creaturæ Dei: Nam principium hic non sumitur *passivè*: sic enim Christus foret principiatum: sed *activè*, quemadmodum Philosophi dicunt, quòd principium sit, à quo principiatum est productum. Quòd enim sic intelligatur vox ἀρχῆς, vel liquet ex Apoc. Joh. 1. v. 8. & 17.

5. Quando Christus dicitur πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν Col. 1. v. 18. & Apoc. 1. v. 5. & πρωτότοκος πάσης κτίσεως, non est par istarum phraseon ratio omnimoda. Nam prior Christum includit *in numerum* antea mortuorum; postea verò eum resuscitatum esse innuit: Unde propositio ἐκ adhibetur. Posterior verò phrasis Christum nullatenus ponit in classe *creaturarum*, sed docet, eum esse genitum ante omnes creatu-

creaturas. Unde propositio ἐκ hîc non apponitur, sed intermittitur.

4. Excipit, *quòd hâc nostrâ* κατὰ πρωτότοκα *interpretatione destruamus propriam de Christi generatione sententiam. Si enim*, inquit, *Christus ante omnem creaturam genitus est, certe suum esse completum habuit, antequam quicquam à Deo crearetur. At ipsi dicunt, Christum etiam hodie gigni, & ejus generationis finem nunquam fore. Quod nihil est aliud, quàm Christum nondum esse. Quod enim est in fieri, nondum est, neque suam perfectionem adeptum est.*

℟. Enjedinus de Filii Dei generatione disserit ad notmam *Physicæ generationis*, sed perperam. Est enim *divina generatio*, quæ ab omni imperfectione est remotissima: quin etiam malè torquet nostram sententiam quando dicitur cum August. in epist. ad Passentium *Patrem semper gignere, & Filium semper nasci*. Eo ipso enim non innuimus, quòd generatio Patris & nativitas Filii sit nondum *completa*: sed ostendimus, quod ista generatio & nativitas sit *omnis mutationis* incapax, & sit extra tempora, adeoque sit *æterna*. Quod autem est æternum, id præteritum & futurum excludit, & est in perpetuo νῦν seu *hodie*, Psalm. 2. Quare Augustini ratio est attendenda: *si*, inquit, *Pater aliquando genuit, & postea gignere desiit, ergò aliquando etiam cœpit gignere, & antea non gignebat; & sic Filius erit non æternus*. Quodcunque enim habet finem, illud etiam habuit initium. Ne igitur putes, quando dicimus, Filium DEI semper nasci, intelligi nativitatem in fieri incompleto & imperfecto. Unde August. & Gregorius scribunt, quòd Filius Dei rectiùs dicatur *semper natus*, quàm *semper nasci*; nam licet *semper duret* actus generandi & nascendi: tamen ille sit *semper perfectus & consummatus*. Calvinus l. 1. Instit. c. 13. §. ult. scribit, *stultè fingi, continuum actum generandi in Deo*. Vide ejus refutationem apud Bell. l. 2. de Christo c. 11.

5. Confugit Enjedinus ad distinctas primogeniti significationes. *Sæpè*, inquit p. 338. *primogenitus nil aliud est quàm vox simplex, primus, ut Ier. 4. v. 31. Lev. 23. v. 17. & 20. & Nahum 3. v. 12. Eodem modo dicitur Christus primogenitus mortuorum i. e. primus. Nam aliàs, si vocis etymon spectetur, absurda erit sententia. Qui enim moritur, aut mortuus est, certè gigni non dicitur; cùm etiam ea quæ per generationem acquisita erant, in morte amitti soleant.*

℟. 1. Primogenitus Hebraicè בְּכוֹר, græcè πρωτότοκος propriè loquendo, nunquam simpliciter & nudè significat *primum*, sed primum *generatione & nativitate*.

℟. 2. Ci-

¶. 2. Citata ab Enjedino dicta non habent vocem בְּכוֹר sed בִּכּוּר, quæ usurpatur de primitiis aut frugum aut panum; & ita non notat *primum* simpliciter, sed in respectu ad primam maturitatem, & ad oblationem Domini. Ut θεοτόκος dicitur Dei para, ita πρωτοτόκος primipara. Ut autem θεότοκος est Deo genitus, ita πρωτότοκος primogenitus.

¶. 3. Christus hoc sensu non potest dici primogenitus mortuorum i. e. *primus* inter mortuos. Nam multi homines ante Christum sunt mortui tempore V. T.

¶. 4. *Primogenitus omnis creaturæ* dicitur Christus: quia est genitus *ante* omnes creaturas, adeoque ab æterno: estque dominus omnium creaturarum. Quando autem *primogenitus ex mortuis* dicitur, tum vox primogeniti sumitur non pro primo generato, sed pro *primo resuscitato* ad vitam æternam, *plenè fruendam*: sicut resurrectio ex mortuis metaphoricè dicitur regeneratio, Matth. 19. v. 28. Resurrectio dicitur generatio, quia *terminatur ad esse secundariò acceptum*, Lyra. Hæc igitur metaphorica primogeniti significatio non destruit proprium.

6. Instat, *quòd primogenitus aliquando etiam notet non eum, qui prior est tempore, sed qui est dignior & præstantior, ut Iob. 18. v. 13. Gen. 49. Ier. 31. v. 9. & Esa. 14. v. 30. Eodem modo* putat *Christum dici* πρωτότοκον *omnis creaturæ i. e. præstantissimum omnium creaturarum Dei.*

¶. Dist. est inter *propriam* & πρωτοτόκιε significationem & sic semper notat primogenitum, adeoque primum respectu τόκιε, id est, *partus & genituræ*: & inter ejusdem consignificationem, respectu *adjunctorum*. Quia enim primogeniti reliquis natis fuêrunt habiti præcellentiores, adeoque pluribus privilegiis instructi; ideò vox primogenitus aliquando ponitur pro *præstantiori & eximio*, qui principatum quâdam in re obtinet. Ubi non possum saltem falsi loquium Enjedini tacere; nam scribit, *Gen. 49. Iudam dici primogenitum*; Quod tamen secus est. Nam solus *Ruben* dicitur *primogenitus*, v. 2.

7. Scribit, *primogenitum sæpe poni pro dilecto, ut Exod. 4. v. 22. Psal. 89. v. 28. & Heb. 12. v. 23. Quare Christum esse primogenitum omnis creaturæ i. e. summè dilectum.*

¶. Denuo confundit significationem *propriam*, & consignificationem *adjunctivam* vocis primogeniti. *Propriè* significat illum, qui primò

primò omnium est genitus & natus, sicut etymon seu notatio innuit: *Adiunctivè* verò simul complectitur & consignificat *amorem*. Consignificatio verò hæc non præjudicabit ipsi essentiali significationi & notationi. Obiter moneo, quòd Enjedinus Psalm. 89. v. 28. perperam de *Davide* interpretatus fuerit, cùm ille loquatur *de solo Christo*, ùt probant viscera textus.

8. Excipit, *vocem creaturæ hîc non intelligendam esse de primâ creatione, sed secundâ, id est regeneratione & renovatione*. Quod est falsum; quia & *Angeli* recensentur in numero harum creaturarum: qui tamen non per verbum Dei prædicatum & auditum *regenerantur*. Licet enim *ille, qui* sanguinem effudit, dicatur *primogenitus omnis creaturæ*: non tamen ille est primogenitus omnis creaturæ *iuxta carnem*, sed secundùm *Deitatem*. Tantùm dictum sit de vindicatione secundi argumenti.

Tertium desumimus *à creatione omnium*, & sic concludimus: Qui est *creator omnium*, ille est altissimus Deus, Christus est creator omnium v. 16. E.

Regerit Enjedinus 1. *Hîc Christum non asseri creatorem, sed dici per ipsum, ceu instrumentum omnia esse creata.*

R. Falsum est, quòd quando in Christo, omnia dicuntur creata, ipse asseratur non principalis, sed *instrumentalis* causa creationis: quia 1. Quæcunque *Pater* facit, hæc etiam *Filius* facit ὁμοίως, Johan. 5. v. 19. Si hoc. E. ipse, ùt causa inferior & instrumentalis non fecit omnia: secus ἀνομοίως egisset. 2. Christus, ùt *Dominus* omnia creavit, Heb. 1. v. 10. E. non ùt *servus* & medium seu instrumentum. 3. Christus est ipsa Patris δύναμις, 1. Cor. 1. v. 24. Si ergò non ùt causa principalis, sed instrumentalis creavit mundum: tum etiam ipse Pater sic eum creavit. Quod ἄτοπον: Quare quando omnia dicuntur *in Christo & per ipsum* creata, tum non est descriptio causæ *instrumentalis* ipsius creationis, sed innuitur discrimen personarum, & nota characteristica. Sicut enim Pater genuit Filium ab æterno, & per generationem ipsi communicavit Deitatem: ita & in tempore per Filium, tanquam per suam sibi coëssentialem *virtutem & sapientiam* omnia creavit.

2. Instat, *non loqui hîc Paulum de veteri creatione mundi: Quia* 1. *quando ea describitur, non fiat mentio instrumenti: cujus hic fiat, mentio.* Quod est falsum, ùt antè probavi. 2. *Quia cœli & terra hic non fiat mentio.* At sæpe describitur creatio vetus, nec tamen explicita apponitur cœli &

terræ mentio, ùt Gen.1.v.21.27. Psalm.33.v.9. & 148. v. 3. Amos. 4.v. 13.& Apoc.4.v.1. Et quia sine exceptione *omnia* leguntur per Christum creata, ideò *cœlum & terra* non possunt excludi. Illimitata enim *totius* positio non excludit *partes*.

3. Regerit *vocem omnia hìc restrictè intelligendam de solis hominibus; sicut homo sæpe vocetur omnis creatura*, Marc.16.v.15. & Col.1.v. 23.

℟. Negatur antecedens; quia illa *omnia*, dividuntur in *visibilia & invisibilia*, & *angeli* etiam hic significantur. Etsi ergò per Synecdochen alibi omnis creatura notet omnes homines, hìc tamē illa synecdoche non potest locum habere. Unde reliquæ Enjedini nugæ de angelis per Christum reformatis & regeneratis facilè refutantur. Quæ ut adferantur, non est necessarium.

4. Pro Deitate Christi sic argumentamur : Christus est *ante omnia*, & *omnia per ipsum consistunt*, v.17. E. est altissimus Deus: quippe qui solus est ante omnes creaturas, Psal.90.v.2. & solus omnia creata conservat, Joh.5.v.17.

Regerit Enjedinus p. 355. *quòd, ubi Christus dicitur esse ante omnes, seu ante omnia; hoc non ad tempus, sed ad dignitatem referendum sit*. Quod est falsum. Nam & temporis prioritate Christus est ante omnia; siquidem omnia creavit.

Vindicatio *Coloss.2.v.9.*

Hinc probatur 1. Duas esse in Christo naturas, divinam & humanam: siquidem *tota Deitatis plenitudo* in ipso Christo sc. quà homo est, habitat *corporaliter*, h. e. tanquam in proprio humano corpore. 2. Christum esse æternum Deum: quia omnis seu *tota Deitatis plenitudo* in ipso habitat non gratiosè tantùm, sed σωματικῶς, tanquam in *proprio corpore* personaliter unito.

Regerit Enjedinus 1.p.356. *quòd in habitatio innuat potiùs discrimen, quàm unionem & identitatem*.

℟. Hæc inhabitatio est illocalis, & innuit non solum discrimen inhabitantis & inhabitati, sed & unionem personalem. Non enim est descriptio divinæ præsentiæ sive generalis sive specialis gratiosæ: sed *hypostaticæ*. De nullo enim homine alio dicitur, quòd *tota Deitatis plenitudo* in ipso habitet *corporaliter*, quàm de homine Christo.

Excipit 2. *quòd plenitudo totius Deitatis non essentiam & substantiam sed qua-*

sed qualitatem denotet. Quod prorsus falsum est; quia θεότης in verbo Dei notat ipsam *Deitatem*, quæ non est qualitas.

Oggannit 3. p. 358. 359. *Quòd tota Deitatis plenitudo habitet in Christo corporaliter non quoad unionem personalem, sed tantùm quoad effecta.* Quod est falsum.

Quia secus in omni sancto homine dici posset tota Deitatis plenitudo inhabitare *corporaliter*: uti tamen ex verbo Dei probari nequit: quippe quod sonorè clamat, τὸν λόγον *factum esse hominem*, scilicet per μετοχὴν καὶ κοινωνίαν personalem, Johan. 1. v. 14. & Hebr. 2. v. 14. Inhabitatio igitur totius plenitudinis Deitatis in Christo & in sanctis, non tantùm differt *gradibus*, ut tamen vult Enjedinus p. 560. sed *toto genere.*

Opponit 4. *Quòd σωματικῶς significet, crasso modo, qui vulgò videatur etiam stultitia: vel quòd digitum intendat ad descensum Spiritus S. super Christum.* Quæ etiam explicationes sunt falsæ: siquidem gratiosa Dei in hominibus sanctis inhabitatio *impiis* videtur stultitia: neque tamen in iis dicitur habitare tota plenitudo Deitatis corporaliter. Et si propter illum Spiritus S. in corporali specie super Christum descensum, dicitur *tota in Christo Deitatis plenitudo habitare*, tum non semper in illo habitabit: sed certo temporis spacio in illo habitavit, quia ista Spiritus S. descensio conspicua semel fuit facta, & desiit. Atqui constanter *adhuc* tota Deitatis plenitudo dicitur in Christo habitare. E.

Excipit 5. *Vocem σωματικῶς posse significare correctionem præcedentis dicti, & idem esse atq; crasso modo & ruditer.* Quæ est intolerabilis Sophistica. Paulus enim hortatur nos, ne sinamus nos per Philosophiam seduci, sed ut soli Christo adhæreamus, hoc argumento: *quoniam in illo inhabitet tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Quòd si intelligendum etiam de inhabitatione ruditer acceptâ, tum statim argumentum Apostoli foret nullum. Reliqua sophismata, quæ nectit p. 363. & seq. per se collabascunt.

VINDICATIO 1. *Thess.* 3. v. 11. & 2. *Thess.* 3. v. 5.

Hinc Deitas Christi probatur; Quia 1. absolutè & simpliciter dicitur *Dominus noster*, nempe oppositus Diis & Dominis λεγομένοις, 1. Cor. 8. v. 5. & *Dominus gloriæ*, 1. Cor. 2. v. 8. 2. Divinus effectus ipsi, ùt & Patri, pariter adsignatur, qui est 1. *dirigere viam* Pauli ab Thessa-

lonicenses h. e. omnia obstacula, à Satanâ ipsiusque organis Paulo injecta vel adhuc injicienda removere, prosperitatem itineris elargiri, potenter eum protegere & omnes hostes arcere, & ab omnibus corporis & animæ malis eum præservare. Quod est *solius DEI*, Prov. 16. v. 2. & 20. v. 24. Gen. 24. v. 12. & 42. & Psalm. 121. v. 8. Unde Idololatræ illi redarguuntur, qui pro itineris felicitate supplicant *Diis alienis*, Sap. 13. v. 19. 20. 2. Dirigere (κατευθύναι i. e. quod obliquum & pravum erat, dirigere, conformare; descendit enim à nomine εὐθὺς i. e. non obliquus, sed rectus) *corda Thessalonicensium* in charitatem Dei, & in expectationem & tolerantiam Christi. Genitivus, *DEI*, potest accipi & *causaliter*: quia charitas est *à DEO*, qui est ipsa charitas, 1. Johan. 4. v. 8. & *objectivè*, quia tendit *in Deum*, qui amandus est toto corde, & totâ animâ: sic & genitivus *Christi* potest intelligi & *objectivè*, quatenus ipsius ad judicandum vivos & mortuos adventus ultimus patienter est expectandus: & *exemplotenus*, seu in comparatione similium, ut simus patientes & patienter omnia adversa toleremus, ad exemplum Christi. Hic certè est *divinus effectus*, nimirum dirigere corda nostra ad rectum tramitem, ab increatâ obliquitate ealiberare, & in iis charitatem & tolerantiam accendere & excitare. 3. Quia æquè atque Pater à Paulo *religiosè invocatur* & ab ipso ùt authore hæc tanta bona spiritualia devotè petuntur. Solus autem altissimus Deus est religiosè invocandus. Ex his igitur locis & Trinitas divinarum Personarum evincitur. Quia etsi vel maximè verum esset, quòd in his dictis per vocem DEUS, non Spiritus S. sed Pater intelligatur, ùt urget Enjedinus pag. 365. nihilominus tamen duæ divinæ personæ, Pater & Christus, exprimerentur: quando autem duæ personæ divinæ ponuntur, & opus ad extra iis adsignatur: tùm nequit excludi *tertia* Deitatis persona, quia tres illæ personæ sunt *unum*, 1. Johan. 5. v. 7. Frustra urget Eejedinus p. 366. *quòd Deus Pater & Christus hic non affirmentur esse una essentia, sed quòd rogentur dirigere viam Pauli. Aliud autem sit, dirigere, & aliud, unam habere essentiam.* Nam etsi discrimen inter illa sit: tamen ex hâc directione, quippe quæ est verè *divina* ἐνέργεια solidè evincitur ille esse DEUS, cui tribuitur. Quia ergò Patri & Christo ex æquo adscribitur: Ergò tam Christus, quàm Pater (non excluso Spiritu S.) est verus & altissimus Deus. Alienum igitur est, quod excipit Enjedinus p. 366. *quod sæpè una actio pluribus tribuatur, qui tamen non sint iidem, vel æquales, ùt*

1. *Thess.*

1. Thess. 2. v. 10. Nam hîc loquimur de divinâ actione ejusque pari attributione. At quando Paulus, 1. Thess. 2. v. 10. *Deo & Thessalonicensibus* adscribit testificationem, hoc facit impariter. Deum enim citat testem, tanquam *scrutatorem cordis*, & quantum attinet etiam interna mentis & cordis cogitata: Thessalonicenses verò in testimonium vocat, ùt suos auditores, qui & *audiverint*, quæ & quàm fideliter prædicârit, & *viderint* ipsius vitam. Quoad externa igitur & in externis allegat testimonium Thessalonicensium.

Tandem obstrepit Enjedinus, dicendo *illum, qui dirigit, non esse aequalem & eundem cum illo, ad quod dirigit. Secus scopus & sagittarius idem forent, ùt & index via & ipsa via. Quia ergò hic Dominus dicatur dirigere ad charitatem Dei, & patientiam Christi, non esse unum essentiâ.* Quod inter Deum Dominumque & istas virtutes discrimen uti concedo: ita ajo, Dominum tamen & Deum hîc asseri esse *unum*, vel ex hypothesi ipsius Enjedini, p. 366. inscribentis, *quòd Dominus dirigat ad Dei i.e. sui ipsius charitatem.* Et sic non est absurdum, quòd dirigens, & is, ad quem fit directio, sit *unum*.

Vindicatio 1. *Tim. 3. v. 16.*

Hinc Deitas & humanitas Christi, earumque hypostatica unio, luculentè asseritur. Quare Satanas & per Enjedinum summè studet aureum hoc dictum nobis intervertere.

1. Objicit Enjedinus, *veterem latinam versionem, quam putat esse veram: graecum verò textum opinatur esse corruptum: adeoque addit, veteres, qui contra Arium disputarint, in hoc testimonio nil praesidii collocâsse.* Ubi geminum profert falsiloquium: nam 1. vetus illa latina translatio (quam immeritò conatur & Erasmus fulcire) est erronea: quippe cui omnes graeci codices repugnant. 2. Et veteres hinc Deitatem Christi probârunt. Sic *Athanas.* Tom. 1. de incarnatione Verbi contra Paulum Samosatensem p. 461. citat hoc testimonium, ùt in graeco textu, adhuc est. Quin & Chrysost. & Theoph. ex hoc dicto Deitatem Christi adstruunt & asserunt, ùt videre est ex ipsorum super hoc dictum commentariis.

2. Veritatem pertæsæ lectionis omittens', annititur nostram istius dicti explicationem diluere; *quia scopus Apostoli sit, non hîc disputare de incarnatione, sed potiùs institutam de excellentiâ Ecclesiae, & munere Ecclesiastici do-*

stici dignitate orationem pertexere: proinde quicquid hîc Apostolus proferat, illud non ad Dei essentiam describendam, sed ad doctrinæ Christianæ authoritatem & commendationem pertineat. Quæ est manifesta oppositorum fallacia. Nam Apostolus junctim agit & de *Ecclesia* ipsiusque ministerio, & de *Filii Dei incarnatione.* Postquam enim Ecclesiæ Dei & hoc encomium dederat, quòd sit (propter fidelem possessionem & vigilantissimam conservationem ac propagationem, ùt & hæreseωn destructionem) *columna & stabilimentum* τῆς ἀληθείας, *veritatis*, v.15. statim istius *cœlestis veritatis & doctrinæ potissima quædam capita*, recensetur v.16.

3. *Dat ex hypothesi verba Pauli de incarnatione, vel incarnato Deo esse accipienda, sed negat, nostram explicationem posse stare: quia* 1. *secuturum sit, quòd si per Deum,* τὸν λόγον *intelligamus, ille sit conspectus, justificatus & assumtus in cœlum. Quæ* λόγῳ *æterno, omnipotenti, infinito non competant.* Quæ ratio solvitur per distinctionem inter *divinam* & *humanam* Christi naturam. Non juxta illam, sed hanc fuit visus, & ascendit in cœlos. 2. *Quia manifestari in carne, non sit idem, quòd incarnari.* R. Disting. est inter vocis notationem, & *connotationem*, seu immediatam & *mediatam* significationem. Immediatè quidem τὸ *manifestari* in carne, non est præcisè *incarnari*; sed tamen hîc includit & comprehendit *incarnationem.* Nam Deus, ὁ λόγος, est manifestatus in carne, non à se *alienâ*, sed sibi *propriâ* per assumtionem, & per unionem & κοινωνίαν hypostaticam, Joh.1.v.14. & Heb.2.v.14.

4. Ait p.369. *posse locum hunc rectè sic exponi, ùt per Deum intelligatur Pater, qui manifestatus sit in carne, i.e. in Apostolis, qui fuerint caro, h.e. abjecta conditionis & sortis homines.* Quæ falsa est expositio. Quia, ut paucis agam, de eo est hîc sermo, qui 1. *justificatus est in Spiritu*, & 3. *est receptus* (per ascensionem scil. in cœlos) *in gloriâ.* At 1. *Deus Pater* sic non fuit justificatus, i.e. adversus accusationes & vituperationes impii mundi, justus declaratus, sed Deus, qui expertus est varia mundi in se conjecta convitia, quæ deinde homines ipsi agnovêre esse falsa. Confer Matth.27.v.54. Falsum igitur est, quod scribit Enjedinus p. 370. *justificatum esse in Spiritu, Patri convenire.* Nam illi non competit vituperatio & condemnatio, quam ista justificatio hîc prærequirit 2. *Deus Pater* non fuit ascendendo ad cœlos, receptus in gloriâ, seu in gloam, sed Christus juxta carnem, Marci 16. & Act.1. Unde sophismata Enjedini, quæ nectit pag. 372. facilè dissolvuntur. Ubi etiam *excipit,*

ἀναλαμ-

ἀναλαμβάνεσθαι non semper significare, in altum sublevari, & sursum assumi, sed simpliciter recipi, assumi, admitti, ùt Act. 20. v. 13. 14. & 23. v. 31. & Eph. 6. v. 11. 13. & proinde sensum esse, Deum Patrem à gentibus esse receptum & admissum. Quæ glossa elumbis & evanida est. Nam pugnat cum locis parallelis, Marci 16. v. 19. Act. 1. v. 2. 11. 22. & Luc. 24. v. 26. & cum loci hujus 1. Tim. 3. v. 16. visceribus. Dicitur enim *receptus in gloriâ*, i. e. *intrâsse in suam gloriam*, Luc. 24. v. 26. Quin & parit inanem & otiosam tautologiam. Nam jam ante dicitur *creditus in mundo*, nempe ab hominibus piis, in mundo viventibus. *Credere* verò est *recipere*, ùt videre est, Joh. 1. v. 12. & Col. 2. v. 6. Quod non debuit negâsse Enjedinus p. 372. Taceo, quòd citata, ab Enjedino dicta non habent passivum ἀναλαμβάνεσθαι sed activum ἀναλαμβάνειν. Et sophisticum est hic concludere: Ἀναλαμβάνεσθαι notat etiam simpliciter admitti & recipi. E. hic non notat, sursum recipi. Cùm circumstantiæ textus, & locorum παραλληλία illam exegesin flagitent.

VINDICATIO *Tit. 2. v. 13.*

Hìc Christus dicitur *magnus Deus & Salvator noster*, nempe à peccato & morte. E. est altissimus Deus: quippe qui solus est *magnus Deus*, nosterque salvator, nempe non ùt instrumentalis causa, sed ùt *Author*.

Regerit Enjedinus 1. pag. 374. *Ex Erasmo, quòd, etiamsi concederetur, Christum hîc dici magnum Deum; non tamen inde inferri possit, Christum esse illum æternum, & æqualem, ac eundem cum Patre Deum; siquidem, qui DEVS est, eo ipso eum etiam oporteat esse magnum, nihil tamen vetet, alterum esse majorem, qui sic magnus sit, ut nihil illo sit majus.* Quin & p. 375. addit, *si Christus hîc nomine magni Dei insignitur, tùm magnum Deum esse mortuum pro nobis. Quod sit falsum; rejicitq; communicationem idiomatum.*

℟. 1. Vetus hæc est Arianorum exceptio, ad quam suo tempore etiam respondit Theoph. super hunc locum, inquiens: *Magnus de Deo dicitur non per comparationem ad alium quendam parvum, sed absolutè, ùt qui naturâ ipse per sese magnus sit.* Hæc ille.

Quare *Deus magnus* dicitur Christus, non comparatè, respectu Dei *maioris*: sed absolutè, respectu suæ *Deitatis*, quæ tam magna est, ut *magnitudinis ejus neq; finis, neq; exploratio sit*, Psalm. 145. v. 3. Ubi ne Enjedinus excipiat, peti principium, ideò notetur *perpetua Spiritus S. consuetudo*, qui Deum altissimum vocat Deum, Dominum & regem *magnum*,

non in

non in comparatione *majoris* alicujus, sed *absolutè & supereminenter*. Vide Exod. 18. v. 11. Deut. 7. v. 21. & 10. v. 17. 1. Par. 17. v. 25. & 2. Paral. 2. v. 5. Job. 36. v. 26. Psalm. 47. v. 3. & 77. v. 14. & 95. v. 3. & passim.

℟. 2. Christus, Deus ille *magnus*, est mortuus *carne*, 1. Pet. 3. v. 21. & 4. v. 1. & proinde mors verè competit ipsi Deo *magno*, non quidem in suâ *Deitate*, sed in *humanitate*, non per fictam, sed per veram communicationem idiomatum. Quàm *verè* enim & nullatenus fictè ὁ λόγος factus est caro, Johan. 1. v. 14. tàm *verè* carnis suæ passionem & mortem sibi appropriavit, Act. 20. v. 28. & 1. Cor. 2. v. 8. Κοινωνία naturarum expressè stabilitur, Hebr. 2. v. 14. quæ includit communicationem idiomatum.

Deinde p. 375. excipit, *Patrem, & non Christum, hîc dici Deum magnum: quia conjunctio, Et, manifestè demonstret, duorum hîc fieri mentionem, magni nempe DEI, qui sit Pater, & salvatoris, qui sit Jesus Christus.*

℟. 1. Ex hypothesi, si vel maximè verum esset, quòd Pater hîc *magnus* Deus diceretur: Filii tamen Deitas & hinc evinceretur, quippe qui hîc dicitur *noster salvator, qui semetipsum pro nobis dederit, ut redimeret nos ab omni iniquitate.* At Jehova ipse sic est noster Salvator, Esa. 43. v. 11. & Hos. 1. v. 7. & qui tantùm est homo & non ipse Deus, is nos à peccato & æternâ morte redimere nequit, Psalm. 49. v. 8. 9. Apostoli sunt etiam nostri Salvatores sc. non *meritoriè*, sed *organicè*, & tantùm per modum *docendi*, non *redimendi*.

℟. 2. Falsum est, quòd hîc conjunctio, *Et*, manifestè demonstret, de *duobus* hîc esse sermonem. Nam illa non tantùm idem tribuit *distinctis*: sed & de *uno* prædicat *distincta*, ùt infinita probant exempla. (Illustretur à naturâ *axiomatis copulati.*) Sicut hîc de *uno* Jesu Christo **enunciat**, quòd sit *magnus Deus & salvator*. Id quod (uti & observavit, Beza,) constat 1. ab *unitate articuli præpositivi græci, ejusq; intermissâ repetitione*. Sic enim textus habet τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Ecce! Hîc duo illa prædicata, θεὸς καὶ σωτὴρ subjiciuntur *uni* articulo τοῦ; & proinde illa duo prædicata *uni* & eidem subjecto sunt tribuenda, nempe Jesu Christo: quemadmodũ cùm Paulus dicit, Eph. 1. v. 3. ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, eo ipso indicat, esse θεὸν καὶ πατέρα Christi tribui *uni & eidem*; quia articulum ὁ non nisi semel posuit. Quòd si igitur Paulus Tit. 2. v. 13. *duos distinctos* intellexisset, tum articulum, hoc modo repetivisset & geminâsset: τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος.

τῆς &. Quod tamen non fecit. Ne autem videamur tantùm hærere in articulo *prepositivo*, addimus hoc 2. argumentum: Ille enim hìc dicitur *magnus Deus*, cui tribuitur ἐπιφάνεια. At non Patri, sed *Filio ejus* in N. T. tribuitur ἐπιφάνεια, Vide 2. Thess. 2. v. 18. 1. Tim. 6. v. 14. 2. Tim. 1. v. 10. & 4. v. 1. §. Nec immeritò. Nam ἐπιφάνεια hìc notat splendidam & coruscam apparitionem, nempe *visibilem* Christi Jesu adventum ultimum; qui proinde in verbo Dei dicitur ἀποκάλυψις 1. Cor. 1. v. 7. 2. Thess. 1. v. 7. 1. Pet. 1. v. 7. 13. & 4. v. 13. At *Deus Pater* nuspiam in verbo Dei dicitur propriè & visibiliter in nubibus tempore novissimi diei venturus, & descensurus de cœlo.

Ad primum hoc argumentum regerit Enjedinus, *magnam esse varietatem & licentiam Græcis in articulis addendis, omittendis & transponendis, & ipse Paulus v. 13. dixerit*: προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν; *neq; tamen semel tantùm ponendo istum articulum, indicârit, spem & apparitionem esse idem, aut apparitionem attribui spei, aut utrumq; de eodem intelligi.*

At, inquam, & nos scimus, varietatem & licentiam Græcorum in ponendis articulis, vel omittendis. Hoc tamen etiam constat, quod Spiritus S. semel tantùm eum articulum ponendo, *distincta* prædicata (non quidem hìc identificet, ùt assuit nobis Enjedinus, sed) referat ad *idem subjectum*. Quod idem hìc facere probat pleniùs 2. argumentum. Ad quod proinde Enjedinus excipit p. 376. *vocem* ἐπιφανείας *etiam Patri tribui, Tit. 2. v. 11. & 3. v. 4. ubi Patrem intelligi putat hinc evinci; quia v. 6. à Christo discernatur. Et in V. ac N. T. usitatum sit, ut Pater dicatur* σωτὴρ *allegatq; 1. Tim. 1. v. 1.* At, inquam, Tit. 2. v. 11. & 3. v. 4. non est vox ἐπιφανείας, sed verbum ἐπεφάνη, *illuxit*: nec nudè Deus, sed *Dei gratia*, bonitas, & φιλανθρωπία dicitur *illuxisse*. Pater dicitur σωτὴρ Tit. 3. v. 4. propter versus sexti tenorem. Quare aliena & disparia sunt, quæ adfert Enjedinus p. 376. Qui tandem excipit p. 377. & 378. *gloriosum illum adventum esse tum magni Dei, tùm Christi; quia 1. Christus sit venturus in gloria Patris, Matth. 16. v. 27. 2. Quia, quæ Patris sint, ea sint etiam Filii, Iohan. 16. v. 15. 3. Quia* DEUS *Pater sit judicaturus per Filium, Act. 17. v. 31. & Rom. 2. v. 16.* At, inquam, solus Filius visibiliter & propriè descendet de cœlo in nubibus. Quæ visibilis & propriè dicta descensio Patri (& Spiritui S.) non competit: quia ille non est incarnatus. In rationibus Enjedini commissa est fallacia parium. Disparia enim sunt 1. ipsa divina gloria

& majestas, & actus judicandi. 2. Visibilis & realis adventus, & descensus de cœlo. Illa competunt etiam Patri: non hic; quippe qui fiet juxta carnem, quam Pater in suam ὑπόστασιν non assumpsit.

VINDICATIO *Epistolæ ad Hebræos.*

Scribit Enjedinus p. 380. *quòd authoritati hujus Epistolæ nil quicquam detrahat*: interim tamen, quæ ipsius est malitia, *omnibus modis studet divinam eius authoritatem destruere, & suspectam reddere.* Nam p. 378. asserit, *hanc epistolam apud plerosq; valde esse suspectam.*

1. *Quòd sit incerti authoris.* R. Dist. est inter authorem *principalem*, & deinde inter scriptorem & *amanuensem.* Ille est Spiritus S. hic verò quis sit, incertum est. Quæ incertitudo, tam non derogat authoritatem hujus epistolæ, quàm quorundam librorum V. T. canonica authoritas inde non sive destruitur, sive imminuitur, quòd dubitatum sit de *amanuensibus*, per quos Spiritus S. istos libros scripsit.

2. *Quòd ambigatur, in quâ linguâ sit scripta.* R. Hæc ratio tàm non reddit suspectum hanc epistolam, quàm Evangelium Matthæi inde non extenuatur, quòd nonnulli putant, illud primitus Hebræo sermone fuisse conscriptum, & deinde græcè conversum.

3. *Quòd diu non fuerit recepta à Latinis, & ab omnibus parvi ferè pensa.* R. Hæc etiam ratio non militat: quia Latini, etsi principio de canonicâ hujus epistolæ authoritate dubitabant, eò quod opinabantur. Novati errorem cap. 6. & 10. fulciri: tamen postea re meliùs compertâ, hanc epistolam, ùt canonicam receperunt.

4. *Quòd citentur hîc quædam ex V. T. quæ hodiè in Bibliis non extant*, ùt videre sit *cap.* 11. *v.* 21. *& c.* 9. *v.* 19. *& c.* 9. *v.* 4.

R. Hebr. 11. v. 21. *Jacob dicitur adorâsse* (DEVM) *super fastigium virgæ suæ*, ubi citata est versio 70. interpretum, quam & ipse Paulus sæpiusculè est secutus. Quàm minimè igitur Pauli scripta propterea redduntur suspecta, tàm minimè, etiam inde authoritas epistolæ ad Hebræos infringitur. Septuaginta interpretes videntur Gen. 48. v. 2. legisse מַטֶּה i. e. *virga*: cùm jam ibi legatur עַל־הַמִּטָּה *super lectum.* Porro Heb. 9. v. 19. dicitur *Moses sumpto sanguine vitulorum & hircorum eum aquâ, & lanâ coccinâ & hyssopo, simul & ipsum librum, & totum populum asperssisse.* Hoc quidem non ita explicitè reperitur, Exod. 24. interim ex

Num.

Num.19.v.6. elicitur. Etsi etiam Moses Exod.24. disertè non dicat, *librum* etiam fuisse consperſum: tamen, quia vero simile est, librum in altari jacuisse, quando consperſio facta fuit; proinde aſperſo altari, rectè & liber dicitur consperſus. Et si vel maximè hæc in Mose non reperirentur: non tamen essent falsa: sed Spiritus S. per authorem *instrumentalem* hujus epistolæ ista aperuisset & declarâsset. Quod attinet cap.9.v.4. videtur ibi quidem author plus dicere, quàm 1.Reg.8. v.9.& 2.Parali 5. v. 10. scriptum est: verùm tamen omnia facilè conciliantur. Nam duæ tabulæ ex mandato divino debuerunt collocari in arcâ, Exod.25.v.21.& Deut.10.v.5. & urna mannæ coram arcâ testimonii asservari, Exod.16.v.33.34. ùt & virga Aaronis, Num. 17. v. 10. Quamdiu igitur taberuaculum duravit, tam diu tria illa in arcâ, & juxta eam fuerunt asservata. Posteaquam autem Salomon templum extruxisset, solæ tabulæ dicuntur in *arcâ* reconditæ fuisse: reliqua verò procul dubio in *peculiari sacrarii loco* fuerunt reposita. Disting. igitur inter tempus *ante* extructum templum, & *post* illud. Illud respexit author epistolæ ad Hebræos: hoc verò attenditur 1.Reg.8.v.9. & 2.Paral.5.v.10. Valeat itaque hîc illud: *Distinguantur tempora & concordabunt Scripturæ.*

5. *Quòd illa quoq; testimonia, quæ ex V. T. citentur, & ibi legantur, tamen non in eo sensu, neq; rectè adducantur, ùt v.g. cap. 2. v. 6. citetur locus ex Psalm. 8. in contrarium sensum. Cùm enim David ibi loquatur de excellentiâ generis humani, hic scriptor velit inde probare dejectionem, & vilem Christi conditionem. Præterea cap.9.v.2. ea de tabernaculo scribat, quæ refelli ex V. T. possint. Cap.1.v.6. c.10.v.5.13.16. quædam etiam non satis dextrè referantur.*

Ad. 1. Si hæc quæ Enjedinus producit, vera sunt, tum author hujus epistolæ *non erit Spiritus S.* quippe, qui sibi non est contrarius, nec quicquam facit minùs rectè & dextrè: quin etiam labascat *authoritas* hujus epistolæ, cui tamen *nil vult detractum* ipse Enjedinus pag.380. 2. Psalm.8. tantùm agit de Christo, ùt & probant viscera textus, & allegatio ac explicatio Spiritus S. Matth.21.v.16. 1.Cor.15. Eph. 1. Vide D. Hunnij Calvinum Judaizantem & Antipareum. Quæ & Heb. 9.v.2. recensentur, illa non refutantur, sed confirmantur, Exod.25. 26.36.37.& Lev.24. Et blasphemum est dicere, quod Spiritus S. Heb. 1.v.6.&c. 10.v.5.13.& 16.quædam non satis dextrè referat.

6. *Quòd videatur ineptiùs uti argumentationibus, & quædam apertè falsa*

dicere cap. 7. & erroneis opinionibus favere cap. 6. & 10. Quæ rursus est injuria redundans in ipsum Spiritum S. & pugnat cum hypothesi ipsius Enjedini, authoritati hujus epistolæ *nihil detrahere* volentis p. 380. Et si *apertè falsa* continet, ùt & *ineptas argumentationes*, tum ejus divina authoritas prorsus ruit. Deus enim non fallit, nec mentitur. Quando autem porrò ait Enjedinus, *omnia penè testimonia & exempla, quæ ex V. T. huc sint translata; non secundùm historiæ veritatem, & sensum literalem, sed mysticè & sensu Spirituali intelligi*: nimis temerarius est. Nam etsi quædam typica in hâc epistolâ ex V. T. adferantur: tamen & multa secundùm literalem sensum citantur. Ubi crassum Enjedini mendacium nequeo silere. Nam scribit p. 380. *in hâc epistolâ dici, quòd Christus in cœlo effuderit sanguinem.* Quod nuspiam hic dicitur. Cùm igitur *divina hujus epistolæ authoritas* salva sit, videamus, quænam exinde testimonia, pro Deitate Christi militantia, hæreticus desudet infringere.

Vindicatio *Heb. 1. v. 2.*

Hîc quia ipsa mundi creatio tribuitur Christo, non ùt instrumento, sed ùt Dei Patris unigenito & proprio Filio, ipsiusque sapientiæ & potentiæ; ergò ipsius Deitas eo ipso luculentè comprobatur. Solus enim Jehova est *creator* mundi, Esa. 44. v. 24. & 28. v. 11. & Jer. 10. v. 11. 12. Falsum igitur est, quod docet Enjedinus p. 381. *Patrem per Filium condidisse secula, prout eum constituit in tempore hæredem.* Nam hoc ipsi competit juxta humanitatem: illud juxta Deitatem. De disparibus igitur hisce prædicatis non debuisset Enjedinus pariter judicasse, *creationem novam* hîc effinxisse: neque fas fuisset ipsum negare, per τὰς αἰῶνας hîc *mundum visibilem* designari. Etsi enim illa vox plura notet: tamen cùm de creatione usurpatur, notat mundum, ùt vel videre est, Heb. 11. v. 3. Unde reliquæ falsitates, quas pag. 382. ponit, facilè retunduntur.

Vindicatio *Cap. 1. v. 3.*

Hîc Christus dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, nempe Dei Patris, vers. 2. E. Christus Deo Patri est *coëssentialis, imago substantialis*, in quâ Deus Pater quasi refulget. Quomodo enim ὑπόστασις hîc queat significare *substantiam* & *personam* Patris, vide in secundâ parte Sob. Philosophiæ D. Meisneri pag. 411. & seqq.

Enje-

Enjedinus excipit 1. p. 383. *Christum hîc non dici splendorem gloriæ Patris, sed dici splendorem gloriæ i. e. gloriosè splendidissimum: & relativum* αὐτοῦ *debere referri ad* ἀπαύγασμα. Quam ineptum & violentam glossam ipse Enjedinus maturè animadvertit. Quare 2. pag. 383 *concedit, pronomen illud* αὐτοῦ *referri ad* θεὸν *v. 2. per quem non intelligitur Pater, ùt nos velimus, sed* DEVS *unus & solus, cujus cùm Christus sit splendor; proinde ipsum non esse* DEVM.

℟. Deus v. 1. 2. intelligitur Pater, ùt explicant loci paralleli. Quare hinc sequitur, quòd Christus non sit *Pater*: non autem hinc deducitur, quòd non sit DEUS: imò Deitas hinc efficaciter confirmatur. Nulla enim creatura dicitur in verbo divino ὑποστάσεως Dei χαρακτὴρ 3. pag. 385. excipit, *per gloriam & splendorem hîc intelligi accidentia. Cùm igitur Christus sit splendor gloriæ Patris, id est accidentis accidens; proinde hinc non probetur esse persona divina.*

℟. Falsum est, hîc intelligi splendorem & gloriam *accidentalem. Gloria* enim Patris, in ipso considerata, est ejus *gloriosa Deitas*. Et splendor hîc notat ἀπαύγασμα tale, quod ab omnibus *accidentibus* longè distat.

VINDICATIO *vers.* 3.

Hîc quia Christus dicitur etiam *omnia portare verbo potentiæ suæ*, i. e. potente: ideò est altissimus Deus: quippe qui solus omnes creaturas portat i. e. conservat & gubernat. Inanes ergo sunt nugæ Enjedini p. 386. excipientis, *hinc non probari Christi Deitatem, quia ipsi data sit omnis potestas in cœlo & in terrâ, Matth. 28. & omnia sint ipsi data in manus, Iohan. 17. At Deo æterno nemo quidquam unquam dederit.* Deinde *quia per omnia hîc intelligatur mundus renovatus seu Ecclesia.* At, inquam, prima ratio probat, quòd Christo, ùt homo est, sit illa potestas data. Secunda ratio petit principium, adeoque falsa est.

VINDICATIO *vers.* 6.

Hîc Christus dicitur esse ille, qui Psalm. 97. refertur, *ab angelis adorari*, E. est altissimus Jehova. Non enim adoratio civilis hîc intelligitur, sed cultus *religiosus*: & Psal. 97. de ipso Jehova est sermo.

Regerit Enjedinus p. 387. *Psalm. 97. hîc non citatum, sed tantùm alludi ad ipsum esse factam: quia* 1. *verba utrobiq; sunt diversa & immutata:*

neg, sensus sit idem, 2. Siquidem hic applicetur dictum istud, primogenitus. At in Psalmo isto nulla primogeniti fiat mentio, sed Dei. Et primogenitus nequeat significare verum & æternum Deum, qui nunquam sic vocetur, cùm omne genitum, causam & principium ortus sui habeat.

R. Mera malitia est, negare, Psalm. 97. hîc verè, seu in vero sensu esse citatum. Nam sicut verè citatus est, Psalm. 2. v. 7. ita & Psal. 97. v. 7. siquidem author hîc usurpat voculam: πάλιν, v. 6. Quod autem non omnes literarum apices sint citati, prout Psalm. 97. reperiuntur, causa est, quia Apostolus citavit versionem 70. interpretum. Et perperam negatur, quòd Deus uspiam dicatur *primogenitus*. Sic enim dicitur Christus tùm ratione suæ *Deitatis*, quâ est prior omnibus creaturis, Col. 1. & proinde causam sui ortus non habet, ut aliquando cœperit esse, tum ratione *humanitatis*, juxta quam hæres omnium fuit in tempore constitutus, Heb. 1.

VINDICATIO *vers.* 8.

Hîc Christus asseritur absolutè & simpliciter ille DEUS, de quo sermo est Psalm. 45. & *thronus* simpliciter æternus ei tribuitur. E. est altissimus Deus: quippe cujus solius regnum est simpliciter æternum. Falsa igitur glossa Enjedini, p. 389. regerentis, *Psalm. 45. literaliter de Salomone, mysticè verò de Christo loqui.* Quam glossam supra in Psalm. 45. explicatione refutavi.

Nec stare potest, quod excipit, *hîc non Deum, sed hominem describi.* Nam, inquit, *qui unctus est per Deum, h. e. se superiorem & majorem, qui consortes & socios regni habet, non Deus æternus, cui ista repugnant, sed homo, vel certè creatura sit necesse est.*

R. Unctus est Christus, & habet Deum respectu *carnis*; Nec textus habet hanc phrasin, quòd habeat *socios regni* sui, sed quòd unctus sit *oleo exultationis ultra consortes suos.* Quæ verba indicant, quòd Christus sit Spiritu S. qui dicitur oleum lætitiæ, i. e. lætificationis, unctus *citra mensuram*, Johan. 3. v. 34. Sancti verò homines habent Spiritum S. cum mensurâ & ad mensuram, 1. Cor. 12. v. 8. & Eph. 4. v. 7. Licet enim Sancti cum Christo sint *conregnaturi*, 2. Tim. 2. v. 12. non tamen *infiniti regni* erunt consortes. Solus enim Christus *sedet in dextrâ Dei Patris.*

Tandem oggannit Enjedinus, *posse sic explicari, ut vox Deus, non sit vocativi, sed nominativi casus, hoc modo: Deus Pater est thronus tuus in seculum,*

hoc est

hoc est Deus tibi thronum firmabit usq; in seculum. At, inquam, hæc explicatio non prævio Spiritus S. ductu, recedit à literâ, nec cum illis verbis potest conciliari: *Propterea unxit te Deus tuus, ô Deus.* Hic enim Messias expressè compellatur, & DEUS absolutè & simpliciter nuncupatur.

VINDICATIO *vers.* 10.

Hîc Christus asseritur ille *Dominus*, cui Psalm. 102. creatio mundi tribuitur. E. est ipse Jehova creator.

Enjedinus regerit, *v. hunc* 10. *non de Christo, sed de Deo Patre loqui. Quia secus* 1. *author sibi futurus sit contrarius: quippe qui v.* 3. *Christo, ùt instrumento, creationem tribuerit; hîc verò eidem illam attributurus sit, ùt causæ principali. Et* 2. *Scopus Apostoli sit, Christum supra alios homines & angelos extollere. At si Christo creationem hîc attribuat, tùm creatorem creaturæ sit comparaturus: quod sit fatuum. Et* 3. *si hîc Deus Pater alloquatur filium, futurum sit hoc absurdum, quòd filium vocârit Dominum suum.*

Ad. 1. Falsò negatur, hîc de Christo esse sermonem. Nam contrarium probat & conjunctio copulativa v. 10. quâ ille cum antecedentibus versibus connectitur, & scopus Apostoli, qui est Christi excellentiam præ angelis hîc describere. Quòd si ergò hîc Deus Pater, & non Christus, intelligeretur, tùm scopus Apostoli violaretur.

2. Nec obstant contrariæ rationes Enjedini. Non *prima:* quia supra v. 2. creatio mundi Christo fuit assignata, non ùt *instrumento*, sed ùt *sapientiæ & virtuti Dei* Patris, 1. Cor. 1. v. 24. Non *secunda*; quia non est fatuum, creatorem & creaturam certâ ratione conferre; Christus enim hîc asseritur præstantior angelis, etiam hoc argumento: quia sit creator, angeli vero sint creati v. 7. Non *tertia*: quia Deus Pater hîc Christum non vocat *Dominum suum*, sed asserit, eum esse *Dominum*, nempe creaturarum. Conf. Hos 1. v. 7. Quod si dicamus, à filiis Cora Christum vocatum esse *Dominum*, tum argumentum Enjedini etiam ruit. Qui sentiens, suas violentas glossas non posse stare, tandem p. 394. concedit, *Psalm.* 102. *hîc ad Christum applicari, sed mysticè.* Quod falsum est. Nam *literaliter* Christo tribuitur, ùt poscit etiam Apostoli scopus.

VIN-

VINDICATIO *Cap. 2. v. 14.*

Hìc Filius Dei, qui v. 12. 13. loquens introductus est, dicitur particeps factus carnis & sanguinis. E. est incarnatus, & proinde, ùt Deus, ante incarnationem verè extitit.

Regerit Enjedinus pag. 395. *verba illa, caro & sanguis sæpe significare infirmitatem, ùt* 1. Cor. 15. v. 50. At nec sequitur: Alibi significant infirmitatem. E. & hìc: nec verum est, quòd 1. Cor. 15. v. 50. significent infirmitatem, prorsus exclusâ *substantiâ*. Vide Matth. 16. v. 17. & Gal. 1. v. 16. & Eph. 6. v. 12.

Quòd autem ista vocabula hìc significent corruptionem & infirmitatem, nititur *probare ex v.* 15. Quæ probatio est nullius momenti. Nam ibi non est exegesis ejusdem per *idem* : sed significatur *finis*, ob quem Filius Dei particeps sit factus carnis & sanguinis.

Deinde p. 396. negat, *participare alicujus, notare præexistentiam, & incarnationem: secus*, inquit, *sequeretur, quòd pueri isti fuerint incarnati, & ante nativitatem præextiterint. Siquidem dicit Apostolus, æquè, consimiliter, seu pari modo Christum carnis & sanguinis fuisse participem, ùt fuerint pueri.* Qui est ridiculus parium Elenchus. Nam participasse carnem & sanguinem sic Filius Dei asseritur, ut ante istam participationem extiterit, tanquam verus Deus, creator & conservator mundi, Heb. 1. Quod de pueris dici nequit. Quare adverbium, παραπλησίως, non notat *omnimodam* paritatem, sed participationis hujus *veritatem* & naturæ humanæ assumtæ *integritatem*, & Christi & nostri *propinquitatem*. Quod & origo vocis innuit. Componitur enim ex præpositione παρὰ & πλησίον i. e. propinquus, seu πλησίον propè. παραπλήσιος ergò dicitur ille, qui nobis est *affinis*, & *propinquus*: Et παραπλησίως notat, *eodem propè modo*.

Postremò postulat à nobis Enjedinus p. 396. ut probemus, *quòd communicare & participare uspiam in verbo Dei notet, hypostatiè uniri & incarnari*. At, inquam, id statim v. 16. cap. 2. ad Heb. explicatur per τὸ *assumere semen Abrahæ*. Quæ assumtio non sejuncta est ab incarnatione, & hypostaticâ unione. Sic enim Filius Dei assumsit semen Abrahæ, ut factus sit ex muliere, Gal. 4. v. 4. & factus sit caro, Joh. 1. v. 14.

FINIS DISPVT. VII.

I. N. J.

POSTHVMVS

BEATI D. JUSTI FEURBORNII

ANTI-ENJEDINUS,

SEU

VINDICATIONES LOCORUM SACRORUM,

Quæ corrupit

ENJEDINUS,

QUARUM

DISPUTATIONEM OCTAVAM

PRÆSIDE

Viro Maximè Reverendo, Amplißimo atque Excellentißimo,

DN. PETRO HABERKORNIO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBL. FAMIGERATISSIMO, Pastore ac Superintendente Gieſſenſi Vigilantiſſimo, DN. Patrono, ac Præceptore ſuo quovis obſervantiæ cultu ætatem devenerando.

Examini publico ſubjiciet

M. JOHANNES GEORGIUS BUSSCHIUS, Mindâ-Gueſtphalus.

In Auditorio Theologico, Die 12. Martii.

GIESSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typographi Ordinarii, M. DC. LIIX.

VIderat Amramides dumum flagrare, nec igni
Depasci, puro jussus adire pede.
Gressibus impuris consortia prava Socini
Ad sacri properant enthea templa chori.
Vellere, ceu dumum, tentant fundamina verbi,
Littus arant, fatuis ignibus usta, manent.
Dumeta & stipulas quæque Enjedinia moles
Struxit, *FEWRBORNJVS* dispulit igne sacro.
Approperes adytis verbi purasque loquelas,
BUCSSHI, *non dumi* mobilis instar, habe.
Ad verbi radium, Divo qui illapsus ab Igni,
Offusas nebulas discute, *Clarus eris*.

Sic Honorando suo συσσίτῳ *& Amico*
singulariter dilecto gratulatur

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, D.

SIc Giessena premas, sic ornes pulpita nostra,
Proferat ut laudes Hassia nostra tuas.
Cùm sat laudatos conatus ritè subire
Pergis defendens dogmata recta simul,

Egre-

Egregiam navas operam, dignumq́ laborem
Te, patriaq́ tua, cuî tua Lingua placet.
Hoc opus extendent mox tempora grata, Tibiq́
Præmia præbebunt pulchra parata diu.

In honorem Eruditissimi
DN. M. RESPOND.

Lubens apponere simulq́

Gratulari voluit

M. IOH. HEN. PETRI.

FINIS.



BONO CVM DEO!

BEATI D. JUSTI FEURBORNII *ANTI-ENJEDINI,*

DISPUTATIO VIII.

Resp. M. JOHANNE GEORGIO BVSSCHIO, Mindâ-Gueſtphalo.

VINDICATIO *Hebr. verſ. 16.*

HIc Filius DEI dicitur *Abrahæ ſemen aſſumſiſſe.* E. fuit & extitit ante iſtam aſſumtionem & incarnationem, ùt altiſſimus Jehova.

Regerit Enjedinus 1. p. 397. *nullù unquam teſtimoniù ſcripturarum, & nullo exemplo probari poſſe, quod ἐπιλαμβάνεσθαι ſignificet hypoſtaticè uniri, vel incarnari.*

R. Ast res ſubjecta, & viſcera textus hìc probant, quòd ſic ſumatur. Nam ſic Filius Dei hìc aſſeritur aſſumſiſſe ſemen Abrahæ, ut 1. *particeps ſit factus carnis & ſanguinis* v. 14. 2. ut ipſe & nos omnes ſimus ex *uno* v. 11. h.e. ex uno ſive Adamo ſive Abrahamo. 3. ut ſimus *fratres* v. 11. At ſi Filius Dei non fuiſſet incarnatus, nec per incarnationem aſſumſiſſet ſemen Abrahæ, tum hæc prædicata non poſſent de Chriſto verificari.

Regerit 2. *Semen Abrahæ hìc non ſignificare hominem vel humanam*

naturam, sed posteritatem certi hominis, seu genus & familiam peculiarem, & esse vocem collectivam, notare q. posteros Abrahæ, Iohan. 8. v. 33. 37. &c. Quia angeli hîc ponantur pluraliter. Vnus autem non rectè opponatur pluribus.

℟. 1. Si hæc ratio Enjedini valet: Semen interdum est nomen *collectivum* & notat *multos*. E. & hîc ita sumitur: tum & hæc valet: Semen interdum est nomen *distributivum*, & notat *unum*, Gen. 3. v. 15. & 4. v. 25. & 22. v. 18. & Gal. 3. v. 16. E. & hîc ita sumitur.

℟. 2. Semen non potest hîc esse nomen *collectivum*, notans multos. Nam v. 17. est σπέρμα & versui 14. Quod ergo ibi notat vox carnis & sanguinis, hæc hîc notat *semen Abrahæ*. At ibi vox *carnis & sanguinis* notat non multos homines, sed unicam humanam naturam individuam: quia ibi à fratribus reliquis, Filius Dei carnis & sanguinis particeps factus, apertè discernitur. E. Item. Filius Dei sic dicitur assumsisse semen Abrahæ, ut ipse, & nos omnes simus ex *uno* v. 11. At si semen hîc est nomen collectivum, tum Filius Dei erit *omnes*, & non à reliquis omnibus discerni poterit.

℟. 3. Error Logicus satis crassus est, negare, unum multis rectè opponi. An non enim disparata definiuntur, quorum unum multis pariter opponitur? Et licet contraria definiantur, quorum unum uni tantùm opponitur: non tamen intelligitur unitas duntaxat *numerica*, sed & *specifica*. Sic unus numero Deus opponitur contrariè multis numero Diabolis: unus numero Christus opponitur (& quidem contrariè) multis numero Anti Christis: unus numero pater opponitur (relatè) multis numero filiis &c. Etsi ergo autor Epistolæ ad Hebræos pluraliter dixerit, *Angelos*: non tamen inde evincitur, quod *semen*, hîc sit collectivum.

Tandem regerit p. 398. 399. *quòd ἐπιλαμβάνεσθαι significet aliquem adjuvare, eiq; opitulari, Matth. 14. v. 31. & Heb. 8. v. 9. sicut ἀντιλαμβάνεσθαι hanc significationem etiam habeat, Luc. 1. v. 54. & 10. v. 40. Act. 20. v. 35. & Rom. 8. v. 26. Quare & hîc Heb. 2. ἐπιλαμβάνεσθαι significet, destruere diabolum, liberare oppressos, misereri fratrum, expiare peccata, & auxiliari in tentatione constitutis, v. 14. &c.* Quare laudat Enjedinus *Castellionem, quòd hunc locum sic verterit: Non enim angelis opitulatur, sed semini Abrahæ opitulatur: redarguitq; Bezam, quòd istam Castellionis versionem taxarit. cùm ἐπιλαμβάνομαι sæpè coincidat cum ἀντιλαμβάνομαι, quod ipse Beza Luc. 10. v. 40. interpretatus sit, opitulari, & ἀντίληψιν verterit opitulationem, 1. Cor. 12. v. 28.*

℟. 1.

¶. 1. Ἐπιλαμβάνεσθαι si vel maximè interdum notarit, *auxiliari, curare, conservare,* (quod tamen Beza negat; nec mihi hactenus dictum sive in V. sive in N. T. libris canonicis obvium fuit, in quo illam verbi istius ad eum modum positi, ùt Heb. 2. videre est, Grammaticam & literalem significationem anima vertere licuerit,) hìc tamen eam significationem non posset habere. Nam 1. Sic Christus ἐπελάβετο σπέρματος Abraham, ut in casu recto dicatur esse *semen Abraham*, Gal. 3. v. 16. At nemo ob solam opem, alteri latam, dicitur & est ille ipse, cui opitulatur. 2. ἐπιλαμβάνεσθαι exponitur per κοινωνεῖν καὶ μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος v. 14. Atqui auxiliari alteri, nunquam exprimitur per istam phrasin. 3. Sic Filius Dei ἐπελάβετο, assumsit semen Abrahæ, ut ipse & nos omnes, quos sanctificavit, dicamur esse ex *uno*, sive Adamo, sive Abrahamo v. 11. At si ἐπιλαμβάνεσθαι hìc notat non assumere per *incarnationem*, sed per *opitulationem*, tùm Filius Dei non est nobiscum ex uno Abrahamo ortus. 4. ἐπιλαμβάνεσθαι eam hìc habet significationem, ut importet Filii Dei & nostri fraternitatem v. 11. At solum auxilium nobis præstitum, non importat fraternitatem: secus & Deus Pater, & Deus Spiritus S. & quilibet S. angelus esset noster frater: quia nobis auxiliatur. 5. Si ἐπιλαμβάνεσθαι hìc notat auxiliari, tùm perperam negavit hujus epistolæ author, quòd Filius Dei susceperit angelos. Nam angelos S. curat, conservat, juvat &c. 6. Si ἐπιλαμβάνεσθαι hìc notat *destruere Diabolum, liberare oppressos, expiare peccata*; tum effectus & consequens erit sua ipsius causa & antecedens. Nam v. 14. &c. illa, ùt effecta & consequentia κοινωνίας καὶ μετοχῆς, καὶ ἐπιλήψεως hujus ponuntur. Plura vide Fasc. 3. diss. Theol. p. 256. &c.

¶. 2. Committit elenchum parium, urgendo ἰσοδυναμίαν verbi ἀντιλαμβάνεσθαι. Nam illud discrepat ab ἐπιλαμβάνεσθαι, sicut græcè docti noverunt. Nec Luc. 11. v. 40. est verbum compositum ἀντιλαμβάνεσθαι, sed decompositum συναντιλαμβάνεσθαι.

VINDICATIO *Cap. 3. Hebr. v. 3.*

Hic dicitur Christus *fabricator Domus Dei*, quæ est Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 15. seu pii homines, Heb. 3. v. 6. E. est verus Deus, quippe qui solus est architectus & Dominus Ecclesiæ.

Regerit Enjedinus 1. p. 400. *quòd sit contra mentem Apostoli, ut Christus author & creator hominum dicatur: quia sit ipse à Deo factus*, v. 2. *Quod*

sive intelligatur de eo, quòd Christus creatura Dei sit, sive quòd Deus illum Apostolum & Pontificem fecerit, semper tamen significetur, Christum inferiorem esse Deo Patre.

℟. 1. Negando, quòd hoc sit contra *mentem* Apostoli: quippe qui Christum esse Deum creatorem & conservatorem, satis perspicuè declaravit & demonstravit, cap. 1. 2. negando, quod Christus sit *inferior* Deo patre, eò quòd factus i. e. constitutus est noster Pontifex & Apostolus: quia ùt Filius, Patri suo cœlesti ἴσος sic constitutus est. Hæc igitur μίνησις non respicit *essentiam*, sed *officium* Christi, quod nullam invehit inæqualitatem.

Regerit 2. *Christum hîc fabricatorem dici non totius mundi, neque omnium hominum, sed solummodò piorum & Ecclesiæ, v. 6. Deus autem sit totius Universi creator.*

℟. Hìc Christus non asseritur fabricator tantùm domus Dei, sed potiùs affirmatur *omnia condidisse*, & proinde esse Deus creator omnium.

Regerit 3. *fabricare hîc non esse, condere & creare, sed redintegrare, & jam semel factos & creatos homines ad alium ordinem transferre. Quod non sit ita peculiare Dei opus, ut non possit, Deo ita jubente, etiam ab homine præstari.*

℟. 1. Est Elenchus oppositorum; quia *fabricare* etiam *condere & creare* hîc notat: siquidem sermo est de fabricatione non solius Ecclesiæ, sed τῶν πάντων v. 4. 2. Si vel maximè sermo esset de *fabricatione Ecclesiæ & Mosis*, nihilominus efficaciter probaret *Christi Deitatem*. Nam nonnisi solus Deus est fabricator Ecclesiæ & Mosis.

Regerit 4. *quòd Christus non dicatur fabricator domus, sed quòd tantùm similitudo adducatur, quâ Christi dignitas supra Mosen explicatur.* ℟. Falsum est, quòd Christus non asseratur fabricator domus hujus; quia v. 7. &c. asseritur esse Jehova, de quo sermo est, Psalm. 95. Qui certè est Ecclesiæ *fabricator*.

Tandem p. 401. opponit, *Christum, etiamsi dicatur architectus domus, non tamen eum esse præcipuum architectum.* Quod rursus est falsum. Quia non tantum architectus ejus esse asseritur, sed & *Deus, qui omnia creavit.* At Deus creator est præcipuus Ecclesiæ architectus.

Vindicatio *Hebr. 3. v. 4.*

Hîc Christus asseritur esse *Deus, qui omnia creavit.* E. est Deus creator omnium.

Oppo-

Opponit Enjedinus 1. *quòd, etiamsi hæc de Christo dicerentur, non tamen rectè colligeretur esse æternus Deus: quia vox omnia, hîc debeat restringi ad solam Ecclesiam.* Quod est falsum: quia nulla restrictionis hujus nota ponitur à Spiritu S.

2. Opponit, *Deum Patrem hîc dici creatorem.* At, inquam, etsi opera ad extra sint communia tribus personis, & proinde *Deus Pater* hinc non excludatur; tamen neque *Filius* hinc excluditur: vult enim author hujus epistolæ probare, quòd Christus sit *domus Ecclesiæ architectus*; eò quòd sit *DEVS*, omnium conditor. De quo igitur loquitur *quæstio*, de illo loquitur *medius terminus*, v. 4. propositus. At quæstio loquitur de *Filio Dei*. E.

3. Opponit v. 4. *continere exclamationem.* Quod itidem falsum est. Quia hîc non opus erat exclamatione, sed probatione, quòd Christus sit architectus Mosis.

4. Conatur *probare, quòd hîc non sit sermo de Christo: quia ille 1. in antecedentibus solius domus fabricator dictus fuerit. 2. Quia dicatur fuisse fidelis in domo Dei. At fidelitas non conveniat hero, sed ei, qui alteri subjectus sit.* Quæ rationes sunt nullius ponderis. *Prima* quidem; quia non per particulam exclusivam Christus fuit dictus fabricator *solius* domus. *Secunda:* quia Christus dicitur fuisse fidelis ei, qui ipsum constituerit Apostolum, nempe Deo Patri, cui, *ut homo*, est quidem subjectus, *ut DEVS* verò est ei æqualis, Joh. 5. v. 18.

VINDICATIO *Hebr. 3. v. 6.*

Hîc asseritur *Christi esse Ecclesia, cui ipse præsit.* E. est verus Deus; quippe qui solus est Dominus & rex Ecclesiæ.

Enjedinus 1. dicit, *pronomen esse relativum potiùs, quàm reciprocum: & proinde Ecclesia dicatur domus non Christi, sed Dei.* At, inquam, in græco textu est genitivus αὐτῦ. & proinde reciprocè intelligitur; quia ipse Christus est architectus Ecclesiæ v. 3. 4.

2. Dicit, *Christum posse Ecclesiam dicere, suam, jure hæreditario.* Quæ explicatio non est sufficiens. Nam Ecclesia est *Christi* etiam propterea, quia eam *construxit.*

3. Dicit p. 403. *nihil impedire, ut Christus vocet suum, quod tamen acceperit à Patre, & quod olim non fuerit ipsius, Iohan. 17. v. 6. & Heb. 2. v. 13. Non ergo inde sequi,* concludit, *parem esse potentiam, & æquale utrorumq; dominium.*

mum. Qui est ridiculus colligendi modus. Nam quòd Christus sit à Patre, & *omnia sua* ab ipso habeat, hoc non importat Patris & ipsius (Christi) inæqualitatem, teste ipso Christo, Joh.5.v.18.seq.

VINDICATIO *Heb.7.v.1.2.3.*

Hîc Melchisedec in attributis personalibus, regalibus, & sacerdotalibus dicitur ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, assimilatus Filio Dei. Quare sicut Melchisedec ratione personæ suæ fuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Καὶ ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων: ita quoque Christo illa competunt. Quæ enim *typus* sunt *umbratiliter*, hæc *antitypus* sunt *realiter*. At Christus ratione carnis non fuit ἀμήτωρ, quia virgo Maria est ipsius mater. E. oportet aliam in ipso esse naturam, cujus intuitu sit ἀμήτωρ. Hæc autem non est angelica: quia angelos non assumsit. E. est *divina*, quippe quam author ad Hebræos cap. 1. sonorè inculcavit. Sic Christus ratione *Deitatis* non est ἀπάτωρ: quia Pater cœlestis est ejus Pater, cujus ipse est Filius. E. præter *Deitatem*, oportet in Christo esse naturam, cujus respectu sit ἀπάτωρ: nempe ratione carnis. Sic idem Christus ratione carnis non est ἀγενεαλόγητος: nam ejus γενεαλογίαν habent Mattheus & Lucas. E. in ipso est divina natura: quippe quæ talem genealogiam non habet. Idem Christus non dicitur habere *initium dierum*, non respectu carnis: quippe quam Filius Dei in temporis plenitudine assumsit, Gal.4.v.4. sed ratione æternæ suæ divinitatis. Neque *finem vitæ habet*, tum ùt *DEVS*, tum ùt *homo*. Hæc de *attributis personalibus*. Quod porro attinet *attributa regalia*, Melchisedec in typo fuit *rex justitiæ, & pacis*. E. Christus reipsâ est *rex justitiæ, & pacis*. Tandem ratione *attributorum sacerdotalium*, Melchisedec fuit *sacerdos Dei altissimi, qui benedixit Abrahamo, & manet sacerdos in perpetuum*. Quare Christus in rei veritate nobis est *sacerdos, qui benedixit nobis & manet noster sacerdos in perpetuum*. Itaque non tantùm *homo*, sed & altissimus *DEVS* est. Falsum ergò 1. est, quòd p.403. scribit Enjedinus, *hîc non de Filio Dei, sed principaliter agi de Melchisedeco, cujus omnia epitheta Christo non sint attribuenda*. Nam ùt vel constat ex v.20. cap.6. *principaliter* hîc agitur de ipso Christo: cujus sacerdotium ut celebretur, ipsiusque præstantia clarè indicetur, adducitur Melchisedec ùt ejus *typus & figura*. Quin etiam Melchisedec, & Christus in illis epithetis conferuntur, quam comparationem Spiritus S. præscribit, ultra cujus limites,

mites, quos præstituit, non est transiliendum. Et proinde hæreticus p. 404. sophistam agit.

Deinde p. 404. & 405. docet, *hæc attributa nec Melchisedeco, nec Christo reipsâ, & quoad essentiam convenire posse: quia uterq; fuerit homo, patrem, matrem, genus, ortum & obitum habens: & illa Melchisedeci attributa nobis sint incognita: Christi verò bene perspecta. Quòd autem Apostolus hæc de Melchisedeco neget, id faciat ipse mystice, & quidem neget, Melchisedecum habuisse patrem & matrem &c, non quatenus fuerit homo, sed sacerdos & eximius quispiam vir, Quo ipso silentio quadam æternitatis imago repræsentetur.* Unde concludit, *nos ineptè facere, qui id, quod non nisi officii ratione & mystice Melchisedeco competit, Iesu Christo literaliter & historicè applicemus; cùm debeat utrobiq; eadem ratio observari.*

Ad. Hic falsa aliquot uni vero immiscet hæreticus. Verum equidem est, quòd Melchisedec *reipsâ* non fuerit ἀπάτωρ &c. Sed tantùm *typicè*: At falsum est 1. Quòd hæc Christo non *reipsâ* sint applicanda. Quæ enim typus habet *typicè*, ea antitypus habet *realiter*. 2. Quòd Melchisedec non fuerit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, &c, quatenus *homo*, sed *sacerdos*. Nam sicut habere patrem, & habere matrem affirmatur de homine, ùt *homo est*: ita etiam de illo negatur, quà *homo* est. 3. Quòd hæc Christo ideò tribuenda sint *mystice*, quia Melchisedeco sic tribuantur. Sic enim & Christus ipse esset typus, non *antitypus*. Res enim *mystice* est in typo, in antitypo est *realiter*, & quoad ipsum complementum.

Tertiò opponit p. 405. *nos pro concesso sumere, Christum hîc dici ἀπάτωρ respectu carnis, & ἀμήτωρ, respectu deitatis: quod à nullo unquam Apostolorum creditum, traditum, & somniatum fuerit.* Quæ magna est blasphemia. Siquidem vel scopus *principalis* ipsius Evangelii Johannis est, probare, Christum esse *Filium DEI*, nempe *unigenitum*, & proinde altissimum Deum, Johan. 20. v. 31. Ideoque Christus, respectu *Deitatis* est ἀμήτωρ (quia generatio ejus æterna tantùm ex *Patris substantiâ*, in s. literis asseritur esse: quæ justo plus non est timanda; est enim *inenarrabilis*, Esa. 53. v. 8.) sicut respectu *carnis* est ἀπάτωρ, ùt docetur Luc. 1.

4. Ait: *Si propterea in Christo duæ sunt naturæ intelligendæ, quòd sine Patre, & sine matre dicitur esse, idem concedatur necesse est etiam de Melchisedeco. Nam de illo potissimùm & principaliter hîc sermo habetur.*

Ad. 1. Est elenchus parium; Quia Melchisedec fuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ,

ἀμήτως, non *realiter*, sed *umbraliter*, seu in *figura* & quoad *silentium* S. Scripturæ. Christus verò *reipsâ*, teste unanimi, Prophetarum & Apostolorum consensu. 2. Falsum est, hîc esse sermonem de Melchisedeco *principaliter*. Nam *principaliter* de Christo, ùt *antitypo*, hîc sermo est, *secundariò* v. de Melchisedeco, ùt de typo Christi.

Tandem quærit: *Vnde habent, ut hoc, sine patre, interpretentur, quoad humanitatem: illud, sine matre, secundum divinitatem? Vnde probant, hæc isto modo esse intelligenda? Quia si posterius secundùm humanitatem, prius secundùm divinitatem esse intelligendum, quis contendat, quomodo refellent?* Vult ergò Enjedinus, Christum respectu *ejusdem carnis* dici ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, sicut Melchisedec respectu *carnis ejusdem* sic dictus fuit.

℟. Repugnat S. Scriptura huic glossæ, quippe quæ docet, Christum respectu *carnis* non esse ἀμήτωρ, sed respectu *Deitatis*: & eundem ratione *Deitatis*: non esse ἀπάτωρ, sed ratione *carnis*, Psalm. 2. v. 7. & Luc. 1. v. 35. Joh. 1. v. 5. Quare non quemadmodum Melchisedec dictus fuit sine patre & matre fuisse, respectu *ejusdem*: ita quoque Christo, respectu *ejusdem*, hæc queunt applicari.

Vindicatio *Hebr. 9. v. 14.*

Hinc bifariam probatur Christi Deitas 1. Quia ipsius *sanguis* asseritur *conscientiam nostram purgare à mortuis operibus*. At nudi hominis, qui non simul Deus est, opus hoc nequaquam est, Psalm. 49. v. 8. 9. 2. *Spiritus æternus* i. e. *æterna Deitas* propria ipsi assignatur. Sic & D. Cheunitius lib. de 2. naturis c. 24. p. 177. per *æternum Spiritum* intelligit *æternam Christi Deitatem*.

Prius argumentum non tangit Enjedinus, sed posterius, regerens. 1. Non sequi, id, per quod facit quispiam aliquid, esse partem ipsius essentialem; v. g. Pontifex Leviticus dicatur hic v. 12. *ingressus in sancta sanctorũ per sanguinem hircorum & vitulorum*. Nec tamen sanguis hircorum & vitulorum sit pars essentialis Pontificis. *A pari igitur non sequi*, concludit, *Christus per Spiritum æternum obtulit se Deo. E. Spiritus æternus est pars essentialis Christi*.

℟. 1. Quando termini technologici in rebus divinis exprimendis, adhibentur, priùs ab adhærentibus imperfectionibus sunt purgandi, quàm iis accommodentur. Idem de voculis *Totius & partis* hîc est sentiendum.

2. Committit Enjedinus elenchum, tum *æquivocationis*, confundens

dens diversas præpositionis, *Per*, significationes, tum *paritatis*. Nam non in sensu pari præpositio, *per*, hîc adhibetur. Quando enim Christus dicitur seipsum obtulisse Deo *per Spiritum æternum*, tum præpositio *per* notat causam efficientem, & æternum pondus ac infinitam virtutem isti oblationi conferentem; quæ causa est *Deitas Christi*, cui unita est humana natura. At non sic ingressus est Pontifex in sancta sanctorum per sanguinem pecudum. Piscator per *Spiritum æternum* hîc intelligit animam Christi immortalem, non Deitatem, neque Spiritum S. quia Deitatis non sit offerre sacrificium, sed ipsa sit, cui offeratur sacrificium ab homine, quà homo est. At, inquam, hîc latitat Stancarismus & Jesuitismus: quasi Christus, tantùm, ùt homo, sese obtulerit Deo. Ipse Christus, Deus & homo, in unitate personæ, se ipsum obtulit Deo Patri.

3. Falsum etiam dicit, asserens, v. 12. *Pontificem Leviticum perhiberi ingressum in sancta sanctorum per sanguinem hircorum & vitulorum*: cùm id de Christo ibi negetur.

2. Regerit p. 406. 407. *lectionem hîc esse diversam. Siquidem vulgatus interpres legat: per Spiritum S. Græci autem codices habeant per spiritum æternum. Si prior lectio retineatur, posse esse sensum, vel quòd Christus per Spiritum S. h. e. virtute divinâ impulsus se Deo Patri obtulerit, vel quòd per angelum se obtulerit. Sin posterior admittatur, posse per Spiritum æternum accipi eundem Dei Spiritum, quo donatus sit Christus sine mensurâ; & qui dicatur æternus, partim propterea, quia sit Dei æterni Spiritus: partim quia datus sit Christo in æternum; siquidem dona Dei sint ἀμεταμέλητα.*

℟. 1. Norma articulorum fidei in N. T. est græcus textus, & non latinus. Quare vulgata latina versio nequit præjudicare textui originali græco. Et falsum est, quòd Christus se *per angelum* obtulerit Deo. Nullus enim angelus est à priori *æternus Spiritus*: Hic verò Spiritus dicitur absolutè & sic etiam à priori *æternus*. Ettestatur S. Scriptura, quòd Christus *ipse seipsum* (& non per alium se inferiorem) Deo obtulerit, Eph. 5. v. 2. 25.

℟. 2. Spiritum S, nequaquam ab hoc opere Christi volumus exclusum: Interim tamen per *Spiritum æternum* hîc intelligi *æternum Christi Spiritum*, nempe ipsius *Deitatem*, arguit tenor verborum ipsius textus.

3. Instat p. 407. *posse hunc esse sensum: Christus semetipsum obtulit per Spiritum æternum i. e. modo non carnali, sed Spirituali.*

℟. At hæc phrasis: διὰ πνεύματος αἰωνίου: est descriptio *causæ*, & non *modi*, quem fingit Enjedinus.

Si enim illa esset ipsius ab Enjedino efficti modi descriptio, cur addita esset particula, αἰωνίου? Num *modus* ille est æternus? Ipse Enjedinus ait, quòd Christi oblatio dicatur *æterna* propter affectū, *æternam*, videlicet redemtionem, & virtutem, in *æternum* durantem. At effectus arguit causam.

4. Opponit p. 407. *posse dici, hîc Spiritum istum, seu sanctum seu æternum non oblationis, sed innocentiæ Christi fuisse instrumentum, ita ut hoc pacto verba ordinentur: Obtulit semetipsum Deo immaculatum per Spiritum S. seu æternum, ita ut non se obtulisse per Spiritum, sed immaculatus fuisse per Spiritum, dicatur.* Quam interpretationem putat Enjedinus hinc *confirmari, quia sæpè Christus dicatur seipsum Deo obtulisse, neque tamen fiat hujus instrumenti mentio.*

℟. 1. Falsum est, quòd præpositio, *per*, hîc sit nota *instrumenti*. Est enim descriptio *ipsius partis* (ut sic loquar) compositæ personæ Christi: videlicet *Deitatis*, in quam caro est assumta, ùt loquitur Athanasius.

2. Falsa itidem est ista textus detorsio. Nam verba διὰ πνεύματος αἰωνίου, proximè connectuntur cum verbo, προσήνεγκε, v. 14. Quam connexionem etiam probat *scopus* Apostoli, utpote probare volentis, quòd Christus *æternam* nobis redemtionem pepererit v. 12. Illustrat id v. 13. à minori ad majus procedendo, & causam, unde oblatio Christi *tantam* virtutem habeat, addendo v. 14. Quid? Hæreticus, ait, *hîc indicari, non oblationis, sed innocentiæ Christi instrumentum. Ergoné æternus ille Spiritus est instrumentum istius innocentiæ?*

℟. 3. Ridicula hæc est inconsequentia: Alibi, quando Christus dicitur seipsum Deo obtulisse, non sit mentio Spiritus æterni, E. Spiritus æternus hic non asseritur ejus oblationis causa. Num enim quando Spirirus S. uspiam aliquid addit, hoc falsum est? vel repugnans iis, quæ alibi expressit?

Denique 5. Enjedinus sentiens suas sophisticationes non posse stare,

ſtare, utpote lubricas & elumbes tergiverſationes, & divini verbi cauponationes, ait: *ſed quicquid ſit de verborum ſenſu ſtatuendum, certum eſt, interpretationem adverſariorum eſſe abſurdam. Neq; enim unquam ex ſ. literis oſtendent, Spiritum æternum ſignificare ſecundam Trinitatis perſonam: Cùm præſertim Chriſtus expreſsè neget, ſe eſſe Spiritum, Luc. 24. v. 39. Neq; etiam in Chriſto hâc voce denotare Deitatem, à Patre ab æterno genitam. Nam nec Deitas gigni, neq; quod genitum eſt, æternum eſſe poteſt.* Hæc ille.

Cui R. 1. Falſum eſſe, quòd nuſpiam *Spiritus æternus* notet *ſecundam Trinitatis perſonam*. Nã illa dicitur Spiritus, Marc. 2. v. 8. & 1. Pet. 3. v. 18. 19. & quidẽ æternus, uti videre eſt Joh. 1. v. 1. Apoc. 1. v. 8. & 22. v. 13.

2. Chriſtus, negans, ſe eſſe Spiritum Luc. 24. v. 39. loquitur de *ſpectro*, carente oſſibus & carne; ſicut textus periſtaſes evincunt.

3. Deitas, *abſolutè* ſumta, prout ſc. eſt communis tribus Perſonis divinis, neque gignit, neque gignitur: interim Deus Pater, qui non eſt expers *Deitatis*, genuit *Filium ſuum*, ſuam virtutem & ſapientiam.

4. Genitum in tempore, non eſt æternum. At qui genitus eſt extra temporum intervalla, ante initium, & ab æterno, uti Filius Dei Pſal. 2. v. 7. Prov. 8. v. 22. & Mich. 5. v. 3. Is eſt æternus. Patet hinc, quòd ex armamentario veterum Arrianorum Enjedinus depromſerit tela, quibus impetit æternam Chriſti generationem & Deitatem.

Vindicatio *Heb. 10. v. 5.*

Hic Filius Dei dicitur *ingreſſus in mundum*, qui ingreſſus complectitur ejus *incarnationem*: & de Deo (Patre) dicitur, quòd *corpus Filio ſuo aptârit*: & proinde *duæ* ſunt in Chriſto naturæ, divina & humana.

Blaſphemia igitur eſt Enjedini, incarnationem vocantis *figmentum* p. 408. & perperam negantis, *ingreſſum in mundum ſignificare incarnationem*: (quæ tamen ſub illâ Filii Dei in mundum ingreſſione comprehenditur, teſte Paulo, Gal. 4. v. 4. & Joh. 1. cap. 4. v. 2.) & præterea confundentis hanc prophetiam, & ejus complementũ. Illa fuit facta tempore Davidis: hoc deinde fuit inſecutum in plenitudine temporis.

Porro inquit Enjedinus p. 409. *Chriſtus in mundum veniſſe, & ingreſſus eſſe dicitur, vel quum poſt baptiſmum Spiritu Sancto inunctus & inauguratus, docere, & miracula cœpit facere: vel cùm in cœlũ aſcendens ſe Deo hoſtiam obtulit: vel denig; cùm jus hæreditatis gentiũ per Apoſtolorum prædicationẽ adiit.*

Cui Reſp. 1. Filium Dei veniſſe in mundum eo ipſo, dum incarnatus eſt, & in carne ſe manifeſtavit & non demum tempore ſui baptiſmi,

smi, & publicæ prædicationis. Conferantur Johan.1.v.9. & 18.v.37. Venit enim salvare, quod perierat, Matth.18.v.11.& Luc.19.v.10. At ipsius conceptio & nativitas nobis etiam saluti est. Nobis enim datus & natus est, Esa.9.v.6.

2. Omninò etiam falsum est, quòd Christus venerit in *mundum*, dum in *cœlum* ascendit. Ascendens enim in cœlum, reliquit mundum Joh.13.v.1.&16.v.28.

3. Quin & falsum est, quòd Christus, *ascendens in cœlum*, se Deo hostiam obtulerit. Nam illud fecerat ante ascensionem, dum in *arâ crucis* pro nobis passus & mortuus est, Heb.9.v.25.16.

Deinde opponit, *quòd verba illa: corpus autem aptâsti mihi, sint mendosa, neq; consentiant cum veritate Hebraicâ: siquidem in textu Hebræo Psal.40. habentur: aures perfodisti mihi.*

℟. Verba Heb.10. non sunt mendosa, sed ex versione 70. interpretum hausta, qui verbum verbo non reddiderunt, sed sensum expresserunt. Quando enim Filius Psalm.40. dixit ad Patrem: *aures perfodisti mihi*: sensus est: Tu mi Deus, voluisti, ut fiam homo, mandato tuo obediens de redimendo genere humano: sicut servi, qui suis dominis perpetuò voluerunt inservire, ad januam domus ipsorum applicarunt suas aures, quæ subulâ quâpiam fuerunt perfossæ, in signum obedientiæ, Exod.21. Quare, sicut Hebræus textus habet *consequens*, nempe τὸ perfodere & perforare aures: ita 70. interpretes posuerunt *antecedens*, & ex illis Author epistolæ ad Hebræos. Nam aures alicui perfodi nequeunt, nisi habeat corpus & caput. Quare illa corporis Filii Dei aptatio includit & aures, utpote membra veri hominis. Et sic est idem sensus. Elenchus igitur oppositorum est, dicere, hîc agi de auribus, & non de incarnatione.

At, inquit Enjedinus, *sensus ipse loci, somnium adversariorum refellit. Nam omnes fatentur, & res ipsa clamat, hîc opponi sacrificia, & aptationẽ hanc membrorum. Iam v. sacrificio opponitur obedientia, 1.Sam.15.v.12. Psal.50.v. 18.& Hos.6.v.6. E. per aptationem vel perfo. ationem aurium aut corporis nihil aliud significatur, quàm obsequium, obedientia, præceptorum Dei observatio, opera honesta & pia. At si adversariorum interpretatio esset vera: qualis, quæso, aut quando in his verbis esset antithesis? Quis esset sensus verborum istorum: Hostiam noluisti, sed me incarnâsti, aut Deitati meæ humanitatem assuisti.*

℟. Antithesis manet verissima. Nam sensus est: Tu Deus noluisti

luisti *sacrificia*, nempe esse expiationem, & satisfactionem pro peccatis totius mundi: sed *corpus* aptasti mihi, ut nempe ego incarnatus facerem voluntatem tuam, *patiendo & moriendo* pro peccatis totius mundi.

Tandem ait p.410. *Psalm.40. literaliter & historicè agere de Davide, Quare, stante nostrâ explicatione, putat sequi, quòd David fuerit incarnatus, & duplici naturâ constiterit.*

℟. At, teste Spiritu S. Heb.10. Psalmi istius allegati versiculi *literaliter* agunt de *Messiâ*, de quo in *capite libri*, nempe Gen.3.v.15. scriptũ est : *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.*

VINDICATIO *Heb.10.v.20.*

Caro Christi hîc dicitur *velamen*, quia velavit Deitatem ipsius: sicut velum tabernaculi in V.T. tegebat interna sacrarii mysteria. Sic juxta analogiã fidei hoc velum explicamus: nec hunc locũ, ùt *primariũ*, pro Deitate Christi urgemus. Unde nõ necesse esset. Enjedini regestiones hîc operosè refellere: sed tamen ex superabundanti eas diluemus.

1. Ex Beza regerit, *quòd per velamen intelligatur peccatum.* ℟. Beza expresè hîc scribit, quòd Christi caro nobis quasi sub *velo* divinitatem ostendat, cujus alioqui fulgorem non possimus sustinere.

2. Instat p.411. *si vel maximè concederet, hîc carnem Christi velamen vocari: non tamen statim sequi, quòd fuerit operimentum Deitatis; quia possit alius rei esse velamentum.* ℟. ὁ λόγος factus est caro, Joh.1.v.14. E. caro rectè dicitur velamen Deitatis ἔ λόγε.

3. Ait, *falsum esse, quòd hîc caro Christi, vocetur velamen: cùm contrà velamen dicatur caro Christi: quæ non sint idem: sicut aliud sit, cùm dico: Christus est Leo, quàm cùm affirmem: Leo est Christus.*

℟. Satis nobis est, quòd velamen dicatur caro Christi. Quæstio igitur remanet, cur velamen dicatur caro Christi? Certè propterea, quia radios Deitatis ἔ λόγε, quippe qui in carne se vacuaverat & humiliaverat, tegebat & velabat in statu inanitionis.

4. Ait, *quòd caro Christi non sit operimentum Deitatis, sed throni gratiæ: siquidem pii non cupiant ire ad Deitatem, sed ad thronum gratiæ: quò non detur accessus, nisi per carnem Christi.*

℟. Est Elenchus oppositorũ. Pii enim desiderantes confugere ad *thronum gratiæ*, simul cupiunt esse cũ Deo. Vide Ps. 73.v.25. & Phil.1.v.23.

VINDICATIO *Heb.11.v.26.*

Hîc Moses dicitur *probrum & ignominiam Christi majores divitias æstimâsse,*

mâsse, quàm thesauros Ægypti. E. Christus tempore Mosis etiam extitit. Quod nudè tamẽ hinc non elicimus, sed simul ex cap. 1. & 13. ad Heb. ubi Christus asseritur *verus Deus*, qui sit *heri, hodie & in secula.* Rursus ergò non esset necessarium, nugas Enjedini diluere: sed tamen ex superabundanti breviter eas percurram.

1. Excipit p. 412. *hîc esse sermonem non de Christo, sed de probro & afflictionibus ejus.* Qui est elenchus oppositorum. Differens enim author hujus epistolæ de *probro Christi*, simul agit de *Christo.*

2. Regerit, *ætate Mosis afflictionem Christi reipsâ non extitisse, sed duntaxat aut in mente piorum, aut in typo & figurâ.* R. Sicut Christus ætate Mosis actu existebat, ùt *verus Deus*: ita & tum revera fuêrunt *ejus afflictiones* in suis, membris.

3. Pag. 413. opponit, *quosdam per Christum hîc intelligere corpus ejus mysticum: vel Christum in genere hîc notare unctum.* Quæ explicationes subsistere nequeunt, si priores stare debent.

VINDICATIO *Heb. cap. 13. v. 8.*

Hîc Jesus Christus dicitur *heri & hodie, idem etiam esse in secula.* E. est æternus Deus. Quando enim omnes differentiæ temporum ita junctim de aliquo prædicantur, tùm indicatur ejus æternitas. Vide Apoc. 1. v 8.

Vanum igitur est, quod excipit Enjedinus, *non æternitatem, sed determinatum tempus, hîc significari: neque hîc agi de Christi essentiâ, sed cognitione.* Eodem modo hîc regerit Calvinus. Nam de ipso Jesu Christo, doctrinâque ejus hîc est sermo: Et licet Job. 8 v. 9. homines dicantur *herii. e. hesterni*, & sic vitæ humanæ brevitas exprimatur: manet tamen verum, quando *junctim* (& non *separatim* tantùm una) omnes temporum differentiæ de aliquo prædicantur, quòd tum ejus infinita æternitas indicetur.

VINDICATIO 1. *Pet. 1. v 11.*

Hîc *Spiritus Christi* dicitur *fuisse in prophetis.* E. Christus tempore prophetarum verè extitit. Nam cujus Spiritus extat, ipsum quoque extare oportet.

Enjedinus pag. 415. regerit, *Spiritum Christi variè posse accipi, ùt 1. pro ipsius animâ.* Fatetur tamen, *sic Spiritum Christi hîc non sumi. 2 pro ipsius, quæ putetur, Deitate, sed, ùt ipse statuit, perperam. Nam 1.* inquit, *figmentum est, Deitatem fuisse incarnatam. Deinde secundùm ipsorum opinionem, ex hoc sequeretur, Prophetas quoque fuisse Deos æternos. Nam si Deitas, in Christo existens facit ipsum Deum æternam, eadem Deitas in prophetis existens, ipsos etiam efficiet Deos æternos.* Hæc ille, qui & blasphemat, incarnationem Filii Dei vocans *figmentum*, cùm ipsa apertè constet ex Joh. 1. v. 14. Gal 4. v. 4. & Heb. 2. v. 14. 16. & confundit Deitatis τῦ λόγυ *intimam & ἀδιάσπατον præsentiam* in carne assumtâ, sibique personaliter unitâ, & deinde *præsentiam gratiosam* in hominibus sanctis. Quæ tamen præsentiæ toto distant genere. Ὁ λόγ@ enim *factus est caro*, Johan. 1. v. 14. & *tota plenitudo*

Deita-

Deitatis (τῇ λόγῳ) *habitat in Christo corporaliter*, Col. 2. v. 9. Num autem ob præsentiam gratiosam, v. g in Paulo, Petro, Filius Dei legitur factus esse ipse Paulus, Petrus &c, & in ipsis habitare σωματικῶς?

3. Ait, *posse Spiritum Christi dici donum illud, quod alio nomine afflatus, & Spiritus S. vocetur, seu vis illa, quâ sancti homines & obscura intellexerint, & futura præviderint: sicut & Trinitarii videantur intelligere; quos* putat *refutari posse inde, quia Christus significet unctum. At unctio pertineat ad humanitatem, quæ tempore Prophetarum non extiterit: & proinde sicut ista unctio: ita nec Christus extiterit tempore prophetarum.*

Resp. 1. Per Spiritum Christi rectè intelligitur *Spiritus S.* quippe qui non tantùm *Patris* est Spiritus, Matth. 10. v. 20 sed & *Filii* Gal. 4. v. 6 Errat verò Enjedinus atrociter, quòd Spiritum S putat non esse *Personam*, sed tantùm *vim divinam*. Cùm tamen ille Spiritus sit DEUS, Act. 5. v. 3. 4. *intelligens & volens*, 1. Cor 12. v. 11. & proinde vivum & intelligens divinum ὑφιστάμενον.

Resp. 2. Vox *Christi* comprehendit ungentem & unctum & ipsam unctionem. Etsi ergò Christus, ùt homo, tempore prophetarum nondum fuerit unctus, sed demum in temporis plenitudine, Dan 9. v. 24. & Act. 10. v. 38. tamen ob *identitatem* personæ, Messias dicitur *Christus* etiam ante incarnationem, 1. Cor. 10. v. 9. adeoque ab æterno, Eph. 1. v. 4. Et licet Christus Spiritum *S.* visibiliter effuderit *post ascensionem* ad cœlos Act. 2 v. 33 ille tamen ejus Spiritus fuit ab æterno.

4. Regerit, *Spiritum Christi posse dici fuisse in prophetis* h. e. *Spiritum similem Spiritui Christi, vel qui aliquid ad Christum pertinens significârit, etsi ille tum nondum extiterit.* Quæ sunt inanes nugæ. Nam Spiritus Christi, ex cujus afflatu prophetæ vaticinati sunt, est verus & altissimus *Jehovah*, & Deus Israël, sicut constat ex collatione, 2. Sam. 23. v. 2. & Luc. 1. v. 70. Qui quoniam à Christo mittitur *in tempore*, oportet, ut etiam ab ipso procedat *ab æterno. Missio enim divinæ personæ, in tempore facta, prærequirit ejusdem æternam productionem.* Hinc Deus Pater nusquam dicitur *missus*, sicut rectè observavit Aug. l 2. de Trinit. c. 5. quia *à nullo est productus.*

Tandem opponit p. 417. *quòd Apostoli scopus nostram interpretationem refellat; quia is exemplo Christi, cujus passiones priùs sint à prophetis prædictæ, & postea etiam gloria, pios voluerit animare, ut patienter tolerent afflictiones, quæ gloriam soleant parere. At*, inquit, *si adversariorum opinio vera esset, totum contrarium in Christo accidisset. Nam ipsi ajunt, Christum primò fuisse Deum gloriosissimum, postea factum hominem afflictissimum. Atq; hoc pacto exemplum Christi, quod ad confirmationem & explicationem suæ sententiæ profert Apostolus, ejus sententiam destruxisset, & penitus evertisset.* Hæc ille, apertè sophisticans. Nam etsi Christus ab æterno fuerit gloriosissimus *Deus*, tamen argumentatio Apostoli manet verissima Siquidem Christus, ùt homo, *primò* est *passus*, & *deinde intravit in suam gloriam* Luc. 24. v. 26.

VINDICATIO 1. *Pet.* 3. *v.* 19.

Hic expressè docet Petrus, quòd Christus *in suo Spiritu tempore Noë, abierit & prædicaverit Spiritibus, qui tunc*, cùm Apostolus hanc epistolâ scribebat, *fuerunt in carcere inferni*, Apoc 20, v. 7, E. Christus suo *Spiritu* i. e. *Deitate*, verè *extitit in diebus Noë.*

Oppo-

Opponit Enjedinus 1. p. 418. *hîc nihil de Deo æterno agi: quia fiat hic mentio Christi, quæ appellatio Deo æterno non competat: & is hîc dicatur prædicâsse, qui mortuus & resuscitatus sit. Deus autem æternus nec mori, nec resuscitari possit.* Quæ meræ sunt sophisticationes *Deus* enim asseritur unctus, nempe in *suâ carne*, Psalm. 45. v. 8 Dan. 9. v. 24. Joh. 3. v. 34 Act. 10. v. 38. Et Deus neque mori, neque ex mortuis resuscitari potest, sc. qu. ad *Deitatem*. Nam *carne mortificatus* hîc dicitur.

Deinde opponit, *Petrum hîc loqui de conversione gentium, quibus Christus per Apostolos prædicârit.* Quam glossam meritò rejiciunt Calvinus, & Beza 4. argumentis, quæ frustra Enjedinus oppugnat. 1. Argumentum est, quòd novum & inauditum sit, vivos homines, appellare *Spiritus*. Hoc quidem negat Enjedinus *ex* 1. *Joh.* 4. *simulq; urget, quòd sicut vox anima per synecdochen ponatur pro homine: ita & vox Spiritus:* sed facilè retunditur Nam loquendo de hominis *substantiâ*, nusquam in verbo Dei, *homo vivus* dicitur *Spiritus*, sed opponitur Spiritui. At 1. Joh. 4. v. 1. doctores, *Spiritum Dei* jactantes, dicuntur *Spiritus*: & proinde taliter dicuntur non ratione *substantiæ*, sed *effecti & adjuncti*. Et licet *anima* per synecdochen ponatur pro *homine*, non tamen *Spiritus*.

2. Argumentum est quòd isti, qui hic vocantur *Spiritus*, infra c 4. v. 6. dicantur *mortui*. Regerit Enjedinus, *dici mortuos spiritualiter, tametsi naturaliter vivant*. At, inquam, non quidem negandum est, peccatores vivos *naturaliter*, dici mortuos *spiritualiter*: at taliter non sumitur vox *mortuorum* 1. Pet. 4. v. 6 Quia intelliguntur *Spiritus*, ut ex primo argumento constat. Quare homines illos, quibus tempore Noë viventibus prædicatũ fuit Evangeliũ, Petrus vocat *mortuos*, intellige nõ respectu *temporis*, quo ipsis fuit verbũ Dei *prædicatũ*: sed quo ipse *scripsit* epistolã.

3. Argumentum est, quòd absurdum sit, Petrum, si de Christo per Apostolos factâ prædicatione ageret, resilire ad *tempora Noë*. Negat autem Enjedinus, *Petrum ad tempora Noë resilire, & prædicationem Christi ad ejus ætatem reducere*. Quam suam negationem ut suffulciat, ideò scribit, *verba Apostoli ita esse interpungenda, ut distinctio ponatur, non post vocem prædicavit, sed post dictionem, aliquando: Et quæ post hanc vocẽ sequuntur, referenda sint non ad præcedentia, sed sequentia*. Quod quid est aliud, quàm malitiosè cauponari verbum Dei, & divinæ veritati nolle cedere?

4. Argumentum est, quia ista expositio non faciat ad *scopum Apostoli*. Quod negat itidem Enjedinus, sed perperam. Nam Apostolus vult describere etiam in *priscum mundum* à Christo collata beneficia, quæ sunt 1. prædicatio resipiscentiæ. 2. Conservatio Noachi &c, in arcâ.

Cæterùm pauca illa, quæ Enjedinus hausit ex epistolâ Johannis, & Judæ, & ex Apocalypsi & malitiosè detorsit, facili negotio ex his vindicationibus, hactenus datis possunt resolvi. Ut ergò eò citiùs promissum opus Biblicum auspicari queam, ideò hisce vindiciis jam finem imponam, eas alio tempore prolixiùs, volente Deo, adornaturus. Christo Jesu, Filio Dei Patris æterno & consubstantiali, Deo super omnia benedicto in secula, sit cum Patre & Spiritu S. laus & honor in omnia secula, Amen!

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0216
DFG

ACADEMIÆ GISSENSIS
RECTOR,
PHILIPPUS ERNESTUS,
COMES DE SAIN ET WITGENSTEIN, DOMINUS IN HOMBURG,
Vallendar & Neumagen, &c.
CIVIBVS ACADEMICIS OMNIBVS AC SINGVLIS,
S. P. P.

IUSTI memoria erit sempiterna; *Psalmistæ verba sunt, ex divinâ mente inspirata: Justorum justa recordatio facilè deletur ex animis hominum; Sæpiùs improbæ oblivioni traduntur ea, quorum arctiorem habere memoriam rerum & dignitati & autoritati magis congrueret. Tametsi sæpiùs ex hominum mente oblivioni nata diffluant cogita-*

tu digna, nulla tamen apud DEUM *vel Piorum vel piè gestorum incidet oblivio. Recordatur* Deus *Abrahami fidelis, Davidis constantis, Hiobi patientis; Omnium piè defunctorum curam habet Dominus. Animas Eorum ceu pretiosissimas gemmas recondit in viventium fasciculo; Ossa custodit in terræ gremio; Nomina ipsorum scripta sunt in libro vitæ: Fruuntur consortio Cœlicolûm jucundissimo, imò inter cœlestes S. Angelorum choros æternùm vivunt, aspectantes indesinenter Patris cœlestis faciem. Quæ igitur contingere posset oblivio, Sanctos abolens ex* Dei *memoria? Quando vitæ lux extincta, simul expirâsse videntur omnia: Tumulatis exuviis, tumulum intrare quasi videtur omnis honos: Ast fulgere demum incipit perennis Justorũ memoria; Ex cinere demum revirescit vigor, ad immortalitatis gloriam natus. Vnicum hoc ambiebant Ethnici, ut famæ immortalitatem sibi pararent & facinorum indelebilis extaret memoria: Alii pro patriâ mortem oppetebant: Alii perenne decus quærebant ex pyramidum seu*

statua-

ſtatuarum erectione, quæ de mortui vivam effigiem referrent: Nonnulli gloriam ponebant in eo, Mauſoléa erigere ſeq́, cadaveris ſumptuosâ curâ commendare poſteritati. Hi præter famam terrenam conſecuti ſunt nihil: Beatorum opera & Virtutũ ornamenta, pretioſiſſima ſunt κειμήλια, *repoſita in* Dei *theſaurario, retribuenda tandem in die illo retributionis omnium. Cogitate, quæſo, nobiſcum, ſi tanta Juſtorum æſtimatio, ſi tanta piorum in conſpectu Dei reminiſcentia, quæ mens oblivioſa tenebit homines, tabulis oblivionis inſcribere eos, quorum in mente vigere ſemper debuit memoria? Juſtum erit quàm maximè, Juſtorum memoriam relinquere poſteritati, cumprimis Eorum, quorum famam ſuperſtitem eſſe jubent merita, quæ tanquam monumenta reponuntur in Chriſti Eccleſiâ. Parentis meritò recordantur liberi, cujus in amplexibus hærere, monebat paternus affectus. Amici jucunda eſt recordatio & deſiderium, cujus in vitâ conſuetudo, altera cordis portio erat. Fideliſſimi Paſtoris meritò recordantur oves, ad ſaniora verbi divini*

pabula deducta, ad viam salutis informata, recogitant illud Apostolicum: Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis Dei verbum dixerunt. *Præceptoris meritò reminiscuntur Discipuli, cujus doctrinam sacrosq; labores grato venerantur animo: Scripta præclara ad Mnemosynes aram suspensa, mortuum inter mortales vivere faciunt: Amicus Amici, Frater Fratris, Collega Collegæ memoriam non tam citò aboleri permittet. Annuam igitur memoriam meritò recolet hæc Academia in Honores* Theologi, *de Ecclesiâ Christi* præclarè meriti, Senis Venerandi, Parentis optimi, Præceptoris fidelissimi & Collegæ desideratissimi, *Viri, sc. Plurimùm Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi Domini* JUSTI FEWRBORNII, S. *Theol. Doctoris, Ejusdemq; Professoris Celeberrimi, Senioris, Ecclesiastæ & Superintendentis Partis Marpurgensis Hasso-Darmstadinæ, meritissimi,* τοῦ ἐν ἁγίοις. *Jubet hoc ipsum anni tempus renovare luctum, quem cepimus anno superiore ex morte beatâ Viri, Corpori huic Academico*

subdu-

subducti. Fatalis vitæ terminus erat VI. Febr. in quo placidam habuit emigrationem è vitæ hujus ergastulo cũ Simeone Justo, cujus hodie mentionẽ facit Ecclesia. Idem dies ad instantem diem Veneris anniversarius erit, Academiam monitorus de supremis honoribus, Collegæ suo quondã conjunctissimo persolvendis. Funebrem orationem habebit, juxta Statuta Academica, ad dictum diem 6. horâ I. pomeridianâ in Auditorio Jure-Consultorum, è Facultate Theologicâ Professor JOHANN-NICOLAUS MISLERUS, S. Th. D. h. t. Pro-Rector: Debitus affectus erga Theologum Præclarum exposcit, post mortem quoq; famam extendere, mori nesciam. Adeste igitur frequentes, Cives Academici & quoscunq; è literatorum numero audire juvat nomen B. FEWRBORNII, Audietis ex vitâ & obitu Ejus beato, quæ ad virtutes calcar adq; vitæ conformationem præbebunt materiam amplissimam: Facietis officium, quod vestro nomine dignum & Familiæ Fewrbornianæ quovis tempore commendatum erit. P. P. Gissæ Festo Purificat. Mariæ, Anno M. DC. LVII. sub Sigillo Academiæ majori.

ORATIO PARENTALIS,

In Laudem & Memoriam indelebilem

Viri Plurimùm Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

DN. D. JUSTI FEWRBORNII,

THEOLOGI CELEBERRIMI, PROFESSORIS ac Senioris multùm devenerandi, Ecclesiastæ & Superintendentis, Partis Marpurgensis Hasso Darmstadinæ longè meritissimi, deq; universâ Christi Ecclesiâ optimè meriti, Giessæ postridiè Nonas Februar. Anno 1656. piè ac placid in Christo Salvatore suo Defuncti,

Publicè habita,

Giessæ die VI. Febr. Anno 1657. horâ I. pomeridianâ

à

JOHANNE NICOLAO MISLERO, S.TH.D. Professore, Stipend. Ephoro & p. t. PRO-RECTORE.

Magnificentissime Domine RECTOR, *&c.*

PARENTALIA celebrare inque demortuorum laudes, quorum apud posteros extare debuit memoria perennis, anniversariam recolere memoriam, non est recens inventum, adulantium lenociniis heri

heri demum invectum: Antiquitatem rei prisca firmant monumenta, Virorum virtutes & merita temporis latitudinem non extinxisse, sed publicis enarrationibus ad laudum incrementa vires majores contulisse; Sive enim intuearis Gentilium mores, seu altiùs expendas Christianorum affectus, non ita cum morientium vitâ fama simul expiravit, ut utriusque nulla extiterit vel recordatio vel justa deprædicatio. Primordia laudationis mortuorum in Romanâ posuit Republicâ, Valerius Poplicola, qui Bruti Collegæ corpus in lecto splendidè exornatum in publico proposuit, ipse postmodum attratus, populo in concionem vocato, suggestum conscendit & in laudem ejus verba lugubria dixit. Quis nescit in funeribus tum virorum tum fœminarum audita fuisse encomia? Quibus enarrandis operam juvenilem exhibuit Octavius Augustus, puer duodecennis, in laudandâ aviâ suâ Juliâ, exemplo sanè memorabili, non facilè imitabili; Juvenes enim heroico sanguine cretos, laudes hasce exequiales suscepisse, dubium eximunt Antiquitatis annales. Quanquam partes illæ parentationum plerumque fuerint devolutæ ad illos, qui mortuum sanguine proximè attingebant, teste Polybio, propinquis tamen remotis, provincia illa demandata fuit Viris eloquentissimis. A multis seculis usus obtinuit inter Christianos, pro rostris laudare defunctos & in eorum honores orationes habere encomiasticas. Rei fidem faciat vel unus ille ex Patrum choro Gregorius Nazianzenus, qui oratione satis concinnâ funera sororis Gorgoniæ & Patris est prosecutus; quid in laudem Cæsarii, Basilii Magni, & Athanasii dixerit, est in propatulo; Vel ipse vivus vitam suam eleganti carminum genere descripsit, ut vitæ curriculum commendaret

poste-

posteritati. Inter delitias ponit, enumerare Virorum laudedigna; Valeant, inquit, in laudem Cæsarii, Gentilium certamina & fabulæ; Valeant libamina, primitiæ & coronæ, quibus hominibus vitâ functis parentant, munus meum est oratio, & nunquam intermorientem, auribus animisque hominum proponere gestio, tanquam in imagine vivâ. Quanta Sanctorum fuerit concelebratio, qui pro Christi gloriâ, sanguinis & vitæ pignus opposuerunt, docent sacri conventus ex antiquitate Ecclesiasticâ noti. Solebant enim ossa honorificè recondere in terrâ & in illo loco conventus Ecclesiasticos instituebant, maximè annuo martyrii ipsorum die, quem communi nomine γενέθλιον seu natalem appellabant eò, quòd miseram hanc vitam cum meliori commutârint & ex morte in veram cœlestem vitam fuerint translati. Pro more Gentilium statis & anniversariis diebus convenêrunt, epulis ad sepulchreta delatis, cum orationum additione, eâ enim imbuti erant opinione, solatium quoddam exinde accedere posse mortuis. Paulatim mos ille fuit imminutus transiit in hunc finem, ut in memoriam defunctorum cibos & donaria conferrent amici, in clericorum & pauperum usum, quæ collecta vulgò appellabantur Sportulæ. Dicam scribit Augustinus usibus illis, qui in Ecclesiam irrepserunt, siquidem ad Sanctorum invocationem, & pro defunctis intercessionem superstitiosam, seminaria præbuerunt ampliſſima, hinc inde tamen ab Ecclesiæ Præsidibus masculo conatu repressa: Hodie in Papatu fiunt anniversaria Justa in Martyrum & Sanctorum laudes non sine superstitionis & idololatrias reatu, illa enim purior antiquitas jam dudum profligavit & ab Ecclesiæ sede pura exulare jussit, Sedes illi fixa paratur in Pontificiorum

ciorum gremiis & delubris. Certa dies manet postridie Calend. Novemb. ad celebranda anniversaria; Autorem fama constituit, Cluniacensium Abbatem Odilonem, cum in Sicilia circa montem Ætnam frequenter audiret gemitus & clamores, quorum causam existimant fremitus æstuantis maris & ignis Ætnei eructationem per cavernarum angustias, ratus ille lamentari Cacodæmones, ob animas demortuorum à suppliciis liberatas, per preces & sacrificia Christianorum. Deceptus etiam opinione Vulgari, ad montem Ætnam incendio perpetuo flagrantem, aut ad inferos aditum patere, aut in voragine illa ignea sontium torqueri & expiari animas. Itaque cum fratricellis re deliberatâ, institutum fecit, ut sacrificia in divorum omnium honorem peracta, proximo die sequerentur justa facienda pro omnibus vitâ privatis : Nihil nobis commercii est cum Gentilibus institutis; Superstitiosa amplecti & iisdem lampada præbere, Christiana vetat religio : De Sanctis recordari & eorum merita fusis laudibus venerari, suadent affectus nostri Christiani, suadet antiquitas, jubet honestas, meret piè defunctorum virtus & probitas:

Nondum, Auditores Exoptatissimi, vestra excidit memoriâ, neque apud nos ulla vel temporis injuria vel oblivio delebit diem illum, quo beatâ morte cecidit vir famæ non ignobilis: Amisimus eheu! ante annum *prænobile Ecclesiæ decus, rei literariæ fulgidum sidus, inter Theologos ævi sui facilè principem, Academiæ hujus columen, canitiei Venerabilis speculum, pietatis exemplum: Virum sc. Plurimùm Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum* Dn. Justum Fewrbornium, *S. Theol. Doctorem Eximium, Ejusdem Professorem primarium Celeberrimum, Ecclesiastem & Superinten-*

intendentem partis Marpurgensis Hasso-Darmstadinæ meritissimum, Collegam nostrum observandum, νῦν ἐν ἁγίοις : Piis Ejus Manibus dies hic erit sacer, anniversarii honores decantandi erunt meritò : Exuite cogitata siniſtra, quis ausus temerarius, quæ audacia me impulerit ad cathedram, dũ ſtudia mea potius eam defugere jubeant, nec me unquam ad cultum eloquentiæ urſit vitæ conditio, quæ triſtitiæ ſitum poſſit abſtergere, digna viro tali proloqui & amuſſatim præconiis laudum exponere. Ad hanc ſpartam non proſilio leviter monitus, nec armos meos extendere conor in opere, quod detrectant vires imbecilliores. Charitatis lege tenemur ad officia Chriſtiana; quidni requiſiti & ad ea ſeriò vocati: Prout *Veneranda Canities* ex legato & teſtamento quaſi rerum ſuarum diſpoſitionem habuit & quæ poſt beatam mortem gerenda ſecum eſſent, modum præſcripſit : Ita & ſollicitus fuit *Vir Beatus* de perſona poſt mortem parentante. Antequam cum adverſa valetudine conflictabatur & à morbo nondum oppreſſus jacebat, memor humanæ ſuæ fragilitatis & quis rerum exitus nos maneat ſingulos, gemebundus ſæpius repetiit, adeò, ut jam cœleſtis gloriæ primitias diſſerendo deguſtare videretur, tandem & ad funeralia ſua provehebatur quæq; cum corpore exanimi inſtituendæ eſſent ceremoniæ, iterum atque iterum urgebat : *Tu meus poſt mortem eris parentator:* Attonitus ego de verbis luctuoſis & mœſtiſſimis, mali augurii nuncia fore ominabar, ſpem cum Deo longioris ævi faciens, attamen animus in noviſſimorum pia meditatione totus & aſſiduus, non admittebat alienæ ſpei ſubſidium. Acquieſcendum igitur erat in voluntate pia, quæ mihi inſtar legis erat. Utinam verò tali viro digna contingere à me poſſet oratio, cui nunc ſupremum

mum humanitatis officium in Academia est persolvendum; sed tale votum nostram nunc excedit mediocritatem. Faciendum tamen, quod in nostris est viribus: Si quæ parva & meritis Ejus erunt inferiora, Deo tamen ipsi acceptum erit, quod fit pro viribus, Gregorius Nazianzenus in laudem Cæsarii refert. Adibo igitur cum Deo, quod mihi commissum est; In laudes meritas *Venerandi nostri* FEWRBORNII b. m. quædam dicam, non fucatis verborum lenociniis, non splendidis figurarum luminibus sive verborum ampullis, sed rei dignitatē styli simplicitate complectar & ad ea dicenda enitar, quæ ad famā *Fewrbornianam* extendendā segetem monstrabunt uberiorem; Intereà meum erit votis devotis ad totius Auditorii benevolentiam confugere & impetrare ab Eo, ut ad temporis spaciolum aures mihi vacivas præbere non dedignetur.

Dum vela orationis expando, dum aggredior illud, cujus gratia hunc occupavi locum, benigna se differendi materies aperit, in qua facilius sit initium habere, quàm servare modum & orationis exitum evolvere: Sive spectes progeniem, sive familiam sive studia, sive labores, sive exitum beatissimum, totus hæreo, nescio, quæ cui anteferenda, quibus prima sit imponenda manus & in aciem sermonis adducenda; Telam orationis nectamus & ab ortu faciamus initium: Non enim injucundum est naturæ creatæ perlustrare originem & ab ortu deduci ad progressum & ad ulteriorem denique metam: Prognatus igitur est FEWRBORNIUS *noster, Parentibus Eximiis & honestissimis*: Sanè beneficii loco reponendum, parentum honestate refulgere & eorum gaudere famâ splendidissima: Quandoque naturâ comparatum est ita, ut

fortes creentur fortib. & bonis, nec imbellem progenerent aquilæ columbam: Sic parentum virtus sæpe naturali propagine transit in liberos & à stemmate probo exurgit simul surculorum bona indoles & natura, quæ non rarò effigiem refingit & format in Natis: Quicquid igitur famæ & existimationis erat in parentibus, adauctum fuit in filio, qui patriarum Virtutum æmulus, præviam patris lucem in virtutibus splendidiorem reddidit. Siquidem monita paterna non defuerunt: *Disce puer Virtutem ex me, verumq; laborem fortunam ex aliis*, inquit Heros ille apud Virgilium, ad filium suum. Optimus illæ Filius erat natus, anno æræ Christianæ supra sesqui millesimum octuagesimo septimo, tertio Idus Novembris: Annus hic erat fatalis Wigando, Episcopo Pomezaniensi in Borussia, Theologo insigni & sincero cujus sacris in Ecclesiam laboribus annus hic dedit exitum. Anno pristino rebus humanis exempto Viro Celebertimo D. Martino Chemnitio, qui sanioris doctrinæ verè fuit Atlas, contra Antagonistas fortissimus Samson, contra Papatum terror & fulmen; Eidem mortis legi subjectus fuit Theodoricus Schnepfius Theolog. & Profess. in Academia Tübingensi, qui anno 64. Tubingâ Marpurgum evocatus ad promotionem primâ Doctoralem habendam in saniori Theologia, cum Augustana Confessione ex asse conformi. Anno, qui natalia dedit *Beato nostro* Fewrbornio, renovata creditur sancta Liga, in qua verè Liga, inter Pontificem Romanũ & principes quosdam Pontificios, qui conspirabant unicè in Lutheranæ gentis internecionem, cujusmodi consilia cruenta & machinamenta perditissima fervebuerunt quidem, sed Dei nutu in prima quasi flamma fuerunt restincta: Halcyonia dedit, ut inter Papistarum fremitus & tumul-

tumultuantes fluctus religio Lutherana vires sumpserit & caput longè extulerit. Addisseminandam eam subinde sua excitavit organa, puriores Theologos, qui plus stylo & calamo, quàm pilo & armamento saniorem doctrinam propugnarent & defenderent: Huic etiam certamini natus erat FEWRBORNIUS *noster* ad extinguendos igneos vomitus & flammeas ejaculationes, contra doctrinam veriorem, iste ad ignes fatuos dissipandos & in nebulas vertendos, limpidiores aquas ex Israelis fonte suffudit, flammas, si non prorsus oppressit, tamen pressit & debilitavit, vi divini afflatus & auræ cœlestis, ita ut verba livoris & invidiæ sint & malevolentiæ Spiritum redoleant, dum quidam non infimæ gentis scripsit, cujus eruditionem multi admirantur: *Mirum non esse incendiis excitandis operam dare, cum ipse nomine ignem è fonte erumpentem minetur:* Sed si cavillationes rei satisfaciunt & viro ingenuo dignæ, nihil tam honestum & decorum erit, quàm cavillandi prehendere materiam. Aliud nostrum *Seniorem* intendisse, testimonia clamant publica: Aliud nomina portendunt in Sacro Baptismatis fonte imposita: JUSTI nomen gessit omine valde bono. Quondam indere solebant prisci nomina ex re ipsa vel quopiam eventu: Isaac à ridendo nomen habet, quod uterque parens risu exceperit nuncium, vires ad πτοιογονίαν emortuas excitatum iri, ad gignendam prolem. Ob partum dolorificum, in quo Rahel extinguitur, Benjamin nomen Benoni sortitur: Moses ex aquis extractus, retinet nomen Moscheh. Cujusmodi nomina σημαντικὰ per Scripturas passim occurrunt, quorum significatio ex radice facilè eruitur. In nominibus & epithetis imponendis religiosiores ferè fuerunt Ethnici, Cornelius, ex eo, quod patrem luminibus or-

bus orbatum pro baculo regebat, Scipionis cognomen obtinuit & posteris nomen dedit: Metellus, ob preces & assiduas lachrymas pro patre exule redimendo fusas, audiit Pius: Intempestivam nominum immutationem suscipiunt Pontifices Romani in sellam Pontificiam evecti; Autorem prævium habent Sergium secundum, Is enim nomen gestans, Os porci, Platinâ teste, forsan ignominiæ sibi duxit, hoc nomine indigitari, transmutat in Sergium, cujus vestigia legerunt Successores alii: Solus Marcellus II. ineptias illas spernens, de mutando nomine admonitus, respondit: *Nec nomen, nec mores; Marcellus fui, idem ero.* Sed quo digredior? Nomen JUSTINI in ore erat, hoc *Pius* noster erat insignitus in Baptismo, quo libro vitæ erat inscriptus, de quo nihil adversi delere illum debebat: Justitia vera inductus, in ætate adultiori justitiam colui, quantum in homines cadit; Scilicet, conveniant rebus nomina ritè suis: Si Augustinus ritè judicat: *Christiani nomen frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur*: Sanè frustranea fuisset Justi appellatio, ubi nulla justitiæ fuisset sedes: *Nominum enim inspectio, honestæ conversationis formam inducat*, monente Cypriano. Hinc & Justus noster justitiam colui, justitiâ docui, ad Justitiam erudiit multos, ut nec unquam quisquam discendi studio incitatus ad eum accesserit, quin redierit doctior & ad vitam sapienter instituendam paratior: In justitia decessit, coronâ justitiæ redimitus vivit, inter Justorum cœlestes cohortes perpetuò vivit.

Justitiæ semina, justitiæ civilis germina statim prodierunt in primis adolescentiæ annis; Ex superiorum suasu, quorum monita venerari religio erat, operam consecrabat studio Juridico: Ad imbibendas Justitiæ regulas, in Gy-

in Gymnasio Lemgoviensi publicè audierat explicari institutiones Juris ; Hæc ad divinum studium erant tentamina & progymnasmata, in quo vitæ dies conterere, jubebant cœlica fata : Fato sæpe mirabili ad studia sacra trahi, quorum ad aliud vitæ genus animi procliviores erant, est in propatulo ; experientia docet, exempla loquuntur ; De se fatetur Theologus Eximius Polycarpus Lyserus in Schola Babylonica, ceu vocat: *Maluissem Eques fieri, quàm Studiosus.* Sed parens me à juventute studiis addixerat ; Mentionem ingerit Theologi insignis, inter Theologos facilè principis Chemnitii; A patre in Marchia Brandeburgensi pannifice, jam manuario opificio adhibitum fuisse & sellæ textoriæ admotum studiis omnibus valedixisse. Georgii Sabini interventu, puer etiam, invito parente, ex officina textoria retractus ad Scholam Magdeburgensem, postmodum ad Regiomontanam pervenit. Tantum Dei benignitate profecit, ut facile quosvis seculi sui superarit Theologos & post Lutherum ipsi partes primæ in scientia Theologica tribuantur meritò. Accedente vel ipso Adversariorum testimonio: De eo dixisse fertur Jesuitici ordinis non infimus Valentianus : Nullum se Lutheranorum metuere nisi Chemnitium. Aliud vitæ genus amplecti, non deerant *Theologo nostro insigni* consilia; Vel de eligenda mercatura vel actione alia. *Non* ad mercaturam & negociationes *in foro* natura Eum excluserat, *sed* divinitus erat segregatus ad negotia habenda *in choro* : Talentum commissum erat impendendum, ut lucrifaceret animas, ipsis proponeret verbi margaritas, veritatis obryzum, meriti Christi pretium & thesauros cœli paratos applicaret, lytro Christi carissimè partos ac cœmptos; Nimirum hæc erat ejus negotia;

gotiatio, sanctissimæ Theologiæ studium, ad quod divino quasi impulsu erat excitatus. Quoties librorū dabatur delectus, plus animus erat erectus in libros sacros, quàm vel profanos vel alios; Scilicet mellifluum gustum instillabat menti, flagrans ardor sanioris Theologiæ. Priscæ legis olim institutum erat apud Hebræos, quod & collaudant Patres, nimirum librorum sacrorum lectionem nō concedendam quibusvis adolescentibus, qui nimis segnes vel desides, nec adeò in religionem fervidi: Quotquot autem brachio non leviori tractarunt sacra, de rebus sacris differendi & piè tractandi commissa erat provincia: Fervore discendi adeò impellebatur Euclides, ut cum vitæ periculo Megaris Athenas iter conficeret, noctu & habitu muliebri mentito, ad Præceptorem Socratem se conferret; Non est, ut hodiè leges ferantur pro ingenio fervidis, ad studiorum metam summo nisu latis, tepidior enim apud plerosq; ad illam est contentio, quàm ut ulla sit opus prohibitione: Noster tum *adolescens Feuerbornius* animum ad sacra penitus applicabat summa cum jucunditate; dixisses mentem ejus rei fuisse natam, utpote cui de meliore luto dederat præcordia Titan: De Origene ferunt Annales Ecclesiastici, quòd etiamnum puer, non tam parentum monitis, quàm privata voluntate ac sponte inductus, sacra quotidie legerit, quotidie memoriam excoluerit, in nonnullis ediscendis & memoriter recitandis; subinde quoque à parente, si qua obscuriora occurrerint, explicationem petiisse; Ab incunabulis etiam *puer Fewrbornius* cum Timotheo in sacris fuit educatus, quæ cū lacte quasi materno imbibere fuit assuefactus. Noluit autem absque remigio seu velis navigare, volatui se non aptavit ante pennarum subsidia, prius in humanio-

maniorib. & Philosophicis ponere voluit fundamenta; Non desunt hodie intempestivi rerum censores ex alto despicientes Philosophiam, utpote futuro Theologo summopere non necessariam; hinc statim provolant ad altiores facultates, provolant ad suggestum, properant ad Instituta Juris, illotis verè manibus, dum vix primis labris degustarunt fundamenta, & tanquam canis è Nilo lambens, illa transeunt: Quorum animus aspirat ad superiora, faciliorem sibi præparant aditum, gaudent exercitatiunculis & quasi velitationibus scholasticis præludere atque profectuum in literis edere specimina in Eruditiorum conspectu: *Tribus* in *Gymnasiis* tum florentissimis; *Hervordiensi, Lemgoviensi & Stathagensi* comprobata dedit tyrocinia, *Scholasticus* noster de se præbēs exemplū quid de hoc ingenio genii optimi sibi polliceri queant Patroni & boni quivis; Nullum non movit lapidē in scientia sibi acquirēda, omnesq; conatus impenditū ad habit sacratioris studii: Qui Theologiam in contemptum adducere existimant, sæpe nugantur eam admodum esse facilem & citra laborem posse percipi, næ! isti vel delirant, vel turpiter ignorant, eventa quotidiana edocere, ne exercitatis quidem in Theologia semper bene cadere aleam; Ne existimate, rem ita levem & superficiariam esse sapientiam Theologicam; Altiùs ascendit, precum ardore, studio indefesso & pertinaci est quærenda labore; Nec breviusculam temporis moram exigit, tempore bene longo & extenso superanda sunt Theologiæ adyta: Aliud enim est, esse Theologum, aliud hominem Christianum, utri major & exactior competat notitia, non est ut disceptetur: Fallit igitur sæpenumerò parentum judicium, qui animadvertentes filium unum è plurib. segniori esse ingenio & neque ad forensem strepitum, neque ad ullum civile vitæ genus appositum fore sperantes, secum constituunt, hunc Deo dedicare & scholis addicere, posse enim saltem in Theologia aliquid consequi: Vegetus noster *Adolescens* idoneus fuisset ad mercaturam, habilis ad Jurisprudentiam, cujus explicationi publicæ interfuerat; Ast abstrahitur, mens ad sacra convertitur, plus delectationis capit ex Luthero & Chemnitio, quàm ex Bartholo, Jasone, Baldo & aliis: Quamvis Jureconsultorū coetus progenuerit ex ordine suo Doctorum, Advocatorū & Causidicorum agmina, quorum autoritas multum prævaluit; Nihil obstat, reprehensionem non meretur ex politicorum coetu pe-

dem ferre ad Theologorum subsellia. Oculos convertamus ad eos, qui ex eorundem collegio clari & sancti prodierunt Theologi: Quales inprimis extiterunt Philogonius, Beryto, Evagrius, Ambrosius, Præses Ligutiæ, Joh. Chrysostomus, Minutius Felix, ipse Aurelius Augustinus & alii complures. Quid dicam de Megalandro nostro Luthero? Ad Erphordiensem Academiam missus, studio Philosophico operam dedit & aliquantulum temporis insumpsit studio Juridico, testante Mattheso in vita. Cui renuncians, quale inter tenebras Papisticas evaserit Lumen, quis ignorat? Quantum fructuum renuntiatio illa tulerit orbi toti Christiano, fungus sit qui non intelligat? vel ipsi adversarii palmam & laudes invidere erubuerunt, Baudii ad Bezam ἐγκωμιάσικα hæc sunt: *Quis silebit hic Lutheri robur invictum nimis? Ille tempestate nostra primus extulit facem veritatis*: Infausta permutatione & Ecclesiæ Christi nimis exitiosâ, nonnulli ex adversariis studio Juridico remiserunt nuncium: Calvinus, Martyr, Beza & alii initio fuerunt Juris studiosi: Desperantes de hoc studio, nec tam facilè nominis celebritate emersuros se putantes, in Juris Consultorum copia, animum adjecerunt Theologiæ & in ea fœtus deterrimos excluserunt, in causa Sacramentarii erroris se promachos & tutores constituerunt. Dexteriori fato Dei gratiâ studium nostri Fewrborn*ii* successit per fideles & eruditos Manuductores: Fidelis χειραγωγία calcar est ad alacrius currendum in studiis: Generosi enim animi, quò sponte feruntur, eò tamen magis possunt extimulari, juxta illud Poëtæ: *Acer & ad palmæ per se cursurus honores, si tamen horteris fortius ibit equus*: Animum hic addidit & suppetias ad proficiendum tulit, tum temporis Autoritate & Eruditione Celebratus *D. Bernhardi Professor, Pastor & Superintendens Stathagensis* in Comitatu Schaumburgico: Non ex illorum Præceptorum fuit numero, qui nullâ discipulorũ habita ratione tractarint vel suave alienа, discẽtib. haud proficua. Ex ore Maximiliani audiit Cuspinianus verba, quæ palam Rex factus coram adstantibus quàm plurimis protulit: Si hodie Præceptor meus viveret, quanquam multa Præceptorib. debeamus, efficerem, ut me instituisse pœniteret eum: Defuncti Præceptoris quoties injecta fuit mentio, fidelem informationem satis deprædicare nescit. Honor & reverentia debetur parentibus, à quibus *vivendi initium*, major Infomarto-

formatoribus, à quibus *benè* & laudabiliter *vivendi* prodiit *auxilium*: *Illorum memoriam sacro venerari elogio religio est.* Merita cumulare laudibus, virtutis imago est: Exemplum rei præbet antiquitas: Magistrorum suorum reverenter meminit Athanasius in libro de Humanitate verbi, quantumvis iisdem non nominatis: Hausimus, inquit, ista à magistris divinitus afflatis, qui sacros libros evolverant & sese divinitatis Christi martyres testesque exhibuerunt. Hieronymus Alexandriâ relicta, peregrinationes suscepit Constantinopolin, ubi Gregorium Nazianzenum audivit, de quo tanquam viro eloquentissimo, Magistro suo multoties gloriatur. Fidelitas Præceptorum nunquam delebitur in animis piorum discipulorum, cedro & immortalitatis marmori maneat inscripta, ita ut jucundissima eorundem sit recordatio.

Noluit autem μαχαρίτης noster consenescere in Scholis trivialibus sed ad celebre hoc Athenæum se recepit anno 1612. *Scilicet haud unâ capitur sapientia sede, sed variis terris quæritur atq; locis*; Confluxere tunc ad hunc locum artium studiosi tanquam ad commune literarum asylum, in quo floruit Aaronis virga & fructus tulit amplissimos. Prodierunt ex eo non tanquã ex Equo Trojano sed Seminario cultissimo, viri in omnium scientiarum genere exercitatissimi; Utinam pristinum vigorem Deus suâ redderet clementia! ô utinam formam indueret, si non eandem tamen similem: In florido illo literatorum confluxu & contubernio noluit esse postremus noster *Fewrbornius*: Sicut enim à doctiorum consortio remotum esse, studiis multum officit; ita in eorum admitti conversationem plurimum proficit. D. Augustinus in Confessionum libris frequenter commemorat, se ad literarum sacrarum lectionem mirificè fuisse attractum, dum licuerit ei cum Theologis doctis conversari & sæpenumero privatim consuluisse. Ut in Virorum Celebrium cõversationem admitteretur *Studiosus Fewrborn.* literis cõmendatitiis dimissus fuit Statthagâ Giessam ad Theologũ celebratissimum D. *Menzerum p. m.* & Jure Consultum D. *Frederum*, quo comite anno 1613. iter suscepit Francofurtum, hinc Moguntiam & Coloniam. Reversus non in ocio delituit, nec in obscuro latitare voluit sed in amicitiam Theologorum intimiorem admissus, sub D. *Johanne Winckelmanno*, *Theologorum Sidere* Disputationem pu-

blicam de fuga peſtis habuit: Poſtmodum lauream Magiſterialem, à biennio hîc exacto, cum laude fuit conſecutus, illis etiam honoribus, licentiâ primitus à Dnn. Profeſſoribus impetrata, in informationem ſtudioſorum fuit uſus: Ab invidia, & ἀυτοδιδαξίᾳ valde erat alienus, dona ſibi communicata communia fieri non invidebat: Nec tamen ἀυτοδίδακτον ſe geſſit, ac ſi ſolus ſcientia turgeſceret, reliqui velut umbra ferrentur: Ex illorum numero ſe profeſſus eſt, qui diſcendo docent & docendo proficiunt. Non itaque erubuit ſe ad pedes Gamalielis ſubmittere, lectiones eruditas Præceptorum ſuorum diligenter excipere, exceptas in ſuccum & ſanguinem convertere nihilque intermittere, quod ad ſtudiorum augmentum facere videbatur: Aliter quàm hodie nonnulli inſolentiæ typho inflati vel neſcio quo faſtuoſo inducti genio, ſi vel à primo limine ſalutarunt Collegia, ſtatim pedem referunt perſvaſi opinione, ſe vel uno hauſtu imbibiſſe quicquid ſcientiarum propinet altum doctrinarum mare: fallunt & falluntur; plus temporis teritur in tricis, & in gerris, plus in nihil agendo, plus olei conſumitur in vino hauriendo, quàm libris evolvendis: Laudes Baſilii M. in parentatione non parum adauget, quòd cum ſatis uberem doctrinam collegerit, nec rei cujusquam honeſtæ ſe ignarum eſſe oportuerit, nec ab apicula, quæ ex cujuslibet floribus utiliſſima quæq; decerpit, labore ac ſapientia voluerit ſuperari, nihilominus ad metropolin & literarum & urbium Cæſaream contenderit, ob majores in ſtudiis profectus: Laudes profectò inſignes meruit *Fewrbornius*, qui dum in ſcholis patriis fragrantiſſimos literarum floſculos collegerat, nihilominus ſibi uberiorem ſegetem & meſſem in hoc loco pollicetur: Diligentia comparat fructus egregios, diligentia ſibi conciliat amorem parium ac commilitonum, diligentia cum pietate acquirit Superiorum favorem: Plurimi de Patronis ſibi excitandis non parum ſunt ſolliciti; *Sat fautorum habet rectè qui agit*, dicente Comico. Non defuerunt illi *Fewrbornio*, Fautorem ſatis exoptatum habuit Virum Magnificum tum temporis Academiæ Pro-Cancellarium J. U. D. & Profeſſorem celeberrimum Antonii, cujus Filium privatæ inſtitutioni commiſſum habebat: Fautorem, omine non infelici, habuit *Dn. Mentzerum* primò *Præſidem* meritiſſimum in tractatu conſcripto contra Calviniſtam Cæſarem: Deinde *Socerum* ſuaviſſimum; Demique *Promotorem* exoptatiſſimum; Fato

Fato connubia fiunt: Hedwigin Filiam Virginem Lectissimam *Justo Fewrbornio* jungendam, forsan erat insperatum: Animum tamen prorsus non abjecerat de matrimonio ineundo, & dum de Pia Compare piè cogitat, Rachelem improvisam Costam adducit, Deus connubiorum Diribitor Sapientissimus: Nefanda Pontificiorum Sacerdotum sunt decreta, statum matrimonialem perpetuò ejurandum. Contra divinum Ordinem, nec personis Ecclesiasticis ademptum: Ut taceam Apostolorum tempora, tota Orientalis Ecclesia nunquam permisit cœlibatus lege & onere Sacerdotium gravari. In illa, tot seculorum decursu, innumeri fuerunt Sanctitatis laude præcellentissimi Episcopi, qui sacro ordini conjunxerunt conjugium. Rei fidem faciunt exempla Spiridonis, Nisseni, Synesij, Basilii M. Patris & aliorum: Laude dignis annumerat Nazianzenus quòd parens Episcopatui conjunxerit conjugium: Hinc & de Nazianzeno Mantuani versus extant: *Præsule Patre satus (namq; id tum jura sinebant) Pastorale pedum gessit post funera patris*: Accinuit idem Hilario Episcopo Pictavienſi in Gallia satis concinnè: *Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor legitimo conjuncta toro.* Quorsum opus in fidem adducere testes ex antiquioribus? Pontificum nomina recensentur c. 2. distinct. 56. qui ex Sacerdotum conjugiis erant prognati: Ne putes ex fornicatione vel ex Sacerdotum conjugio ante Ordinis aditum natos, dubium eximit capit. 13. De legitimis conjugiis intelligendum, quæ Sacerdotib. ante prohibitionem licita & etiamnum hodie in Ecclesia Orientali liceant. Quæ scelera nefanda & propudiosa facta jugum illud Anti Christianum adduxerit, clamitant satis ipsæ Pontificiorum querelæ; Jam dudum Autor Oneris Ecclesiæ scripsit: Monasteria adeò esse propatula, ut ipsa loca Veneris similiora sint prostibulo, quàm Dei sacrario: Valeant igitur insanientes illi γαμοδιώκται; Hostes sunt Clericorum conjugii; Commixtionum libidinosarum bastatores & propugnatores acerrimi; Sacro nos adhærentes ordini pro remedio adhibemus quod carni corruptæ præscripsit alma benignitatis dextra. Conjugium & sacer Ordo non sunt ἀσύμβατα: Status honorabilis in utroque; Steterunt in eo viri Sacratissimi, Viri à fucata pietate alieniſſimi, cur non & noster *Ecclesiastes* desideratissimus? Ambiit ille Nympham duplicem, utramque nactus est; *Sponsam* habuit cultissimam

Virginem, sponsam habuit *Lauream* meritissimam: Hâc exornatur à Venerando Domino Socero anno 1616. 28. Octob. licentiâ communi Procerum Academicorum suffragio obtentâ; Illam in thalamum uxorem dedit & Deus ipse & leges ipsaque sacra Theophili manus, loquente Synesio Episcopo Cyrenensi:

Novo jam statui nova accesserunt munia; fugientem honos sequitur, acrius insequentem fugit; Recens *creato Doctori*, sublimia forsan non cogitanti, committuntur egregiæ provinciæ; Dum *Finckius* celeberrimus locum mutaret & *Helvicus* linguarum Orientalium peritissimus obiret, committitur Professio Ephoria & functio Ecclesiastica, cui manibus Venerandi Senis D. Winckelmanni, anno 1617. 16. Febr. primitus fuit initiatus: Talenta ad officiorum functionem tanquam Servus defes, non defodit, sed impenso cum labore fructuosè collocavit. Quippe cum acer ille animus & cœli æmulator, unde datus erat, non posset nihil agere, mutationem laboris instar refectionis arbitrabatur: Cato Censorius sapienter scripsit, Viris claris & eminentib. non minus otii, quàm negotii reddendam esse rationem: Erat & apud Athenienses χρήας δίκη adversus desides & ignavos; Si nostro Theologo incomparabili libuisset, in lucem aspectumque proferre, quicquid laborum tulerit in cathedra, quos de suggestis sermones dixerit lætificos, dulcisonos, quos in Musæo devorârit labores, aliis etiam communicatos, ab ignaviæ vitio facilè vindicabis & laudem viri laboriosissimi facilè imperties. Æquum tamen erat, ad mnemosynes aram nonnulla suspendere & fœtib. sacris sacram matrem Ecclesiam fœcundare: Libri boni muti verè sunt Magistri, quos fidelissimos consiliarios appellabat Eximius Regum Alphonsus. Referunt æternæ laudis & artis pignora, quæ seculo deponuntur permansura donec in terris erunt cultores honoris, sapientiæ atque eruditionis alumni: Præsentem *Fevvrbornium* non omnes audiebant Sacrorum amantes, in libris vivum post mortem audire gestiunt, habentes in conspectu effigiem Viri optimè meriti indelebilem: Quosdam aucupio gloriæ tractos scripturiendi cacoethes ita percellit, ut nihil non publici juris faciant; Si quid monstrosum nocturna somnia suppeditarunt, piaculum fore existimant, ni protinus expergefacti, prehenso calamo, prægrande hac de re volumen cudant, quod

quod vulgo lectitandum obtrudant, ne arduæ hujus rei gnari ſint ſoli, ſed quod illi ſciunt, ſciat & alter: Quid eruditionis, quid rerum ſolidarum, quid eximiæ Theoſophiæ *ſcripta* contineant *Feuerborniana*, notius eſt, quàm ut meam nunc requirat notificationem; Cui abjecta & humilia nimis videntur, illum quidem Spiritu ſuo ſuperbire facilè permittimus, noverit tamen, ſimpliciſſimè dicta, altum ſpirare ſenſum & ſub externo vili cortice, latitare nucleum ſuaviſſimum: In ſcrutandis Scripturarum profunditatib. erat indefeſſus, in vero ſenſu perveſtigando accuratus & in ſervando literæ tenore tenaciſſimus, ut facilè quosvis ævi ſui anteverterit, abſit tamen invidia verbo! Ad Cleanthis lucernam elaborata, cum blattis & tineis iniqua ſorte pugnare, nefas eſſet, digna potius, quæ fama oblivionis neſcia conſecraret immortalitati: Poſſunt enim errantes in viam reducere, nutantes in via lubrica firmare & neſcientes ſcientia ſacra ſolidè imbuere: Commendatos vobis, ô Theologiæ Studioſi, habete *Feuerbornii labores*, hac in parte imitati Cyprianum, qui Hieronymo teſte, tantum tribuit Tertulliani ſcriptis, ut codicem ſcriptorum ejus exigens, plerumque dicere conſueverit: Da Magiſtrum; intelligens Tertullianum; Idem judicium ferendum de ſcriptis Feurbornianis: Magiſtrum habuimus, Magiſter in ſcriptis poſthæc erit, vivens in libris, vivens in Diſcipulorum animis: Intendebat is cum Baſilio non ad oſtentationem magis ſcribere, quàm ad publicam utilitatem, ut fratribus utiles ac ſalubres exhiberet ſermones: Nec in eo Victoriæ laudes ponebat, librorum immenſam exponere molem; Noverat enim ſcriptorum mole, ingenia magis obrui, quàm juvari; Sæpius ad diſcendum adferre plus detrimenti quàm adminiculi; Sicut ad vincendum multitudo bellatorum nonnullis plus officit, quam ſervit: Non refert, ut Senecæ verbis utar, quàm multos libros, ſed quàm bonos habeas; Nihilominus utilium librorum dari ſatietas nunquam poteſt; Volumina circumferuntur, à noſtris concinnata, quæ rerum mole multum præponderant conſarcinatis Adverſariorum centonibus: Extant etiamnum hodie Patrum volumina in uſum Eccleſiæ. De Operib. Origenis teſtatur Epiphanius, excreviſſe illa ad ſena millia librorum, unde & nomen συντάκτης ſeu librorum Compoſitoris obtinuit: Multitudinis admiratione ductus Hieronymus exclamavit: Quis noſtrum tanta poteſt

legere,

legere, quanta ille conscripsit? Idem ferè encomii genus attribuit Possidonius Augustino, majora esse ejus scripta, quàm ut lectioni par & sufficiens adhiberi possit industria: Isidorum Peluſiotam ter mille Epistolarum autorem esse, testis est Suidas, in quibus sacra dedit commentaria. His si non quantitate molis, gravitate tamen rei & operis accēseo labores Feurbornianos tum exantlatos in publicis lectionib. & Disputationibus. tum publici juris factos: Eminent inter illos tanquam stella inter faculas, ceu lapis inter gemmas, Κενοσυγγραφία χριστολογική: *Fundamentalis Deductio* contra ἀμοιβαῖα Cassellana: Vah! quantum hic laboris insumptum, quot difficultates hic fuerunt superandæ, quot argumentorum nodi Gordii dissolvendi, quot volumina erant evolvenda, quoties rei necessitas requisivit, calamo trivisse labellum & meditationes acriores tum diurnas tum nocturnas ad rem seriam convertere: Quis negabit nisi inexpertus? & qui levi brachio res magni momenti tractari posse vel per somnium cogitant? Dolendum verò res optimè gestas & multo sudore paratas effugere non potuisse Theonini dentis morsus & Sycophantarum insultus: Optima scripta exposita fuerunt adversantium sugillationibus ceu navis fluctibus conquassantibus salva tamen & intemerata manserunt ab improborum injuriis, manebunt etiam in posterum, continent enim Veritatem cœlestem, quæ columna est insuperabilis. Inauditum non est araneum suum infigere aculeum rebus sanis; Muscam commaculare puriora: Audiimus Optimi alicujus Theologi scripta accuratissima in Antagonistarum ore tonuisse Rhapsodias, sine judicio composita; ita simplicioribus persvadere & Scripta egregia tanquam arma è manib. excutere voluerunt; in acie ad pugnam stantibus. Scilicet satis perviderunt Ajacis fore clypeum, quibus nos communiti contra hostes satis feliciter possimus belligerare & vincere: Sic sudes erant in oculis turbæ malignantium adversæ Scripta Feurborniana, quæ cum non potuerint opprimere vel confutare, saltem convitiis conspurcare & odio malevolo insectari non cessarunt. Ast animus calumniarum patiens, ex alto despexit latratus improborum, quos insontem pungentes repellit sana conscientia: Ut enim arboribus altiùs radicatis tantò minus ab eversione erit periculum; quò sævius ventorum furiis exagitantur: ita clarius illustratur & purius enite-

enitescit dignitas & amplitudo præstantium virorum, quò magis obnoxii sunt telis malignorum: Anne infame genus bubonum officere potest luminibus Phœbi? Anne quicquam decedit magno Catoni, quòd strumæ sedent in sella curuli? Nil sanè generosus leo movetur accursu catelli: Nil vir pius & autoritate magnus infestantium verbis aculeatis, quem fama nescia mori consecravit æternitati:

Fama de donis eximiis nostri *Beati Feurbornii* longè lateque volavit per ora virorum, unde & sibi apud exteros applausum & favorem conciliavit intimum, qui in amicitiam ejus sinceram admitti exoptarunt, sibique in officiis publicis habere propiorem, omnem navarunt operam, unde tot splendidæ vocationes ad Theologum hunc insignem exierunt, quibus ille partim tentatus, partim ad officia egregia Gymnastica, Ecclesiastica, Academica Professoria, solennirer fuit requisitus; maluit tamen in statione prima persistere, quàm aliò dimoveri. Probrosum sanè non fuisset sedem mutare & alibi sedem figere: Nihil enim hic actum fuisset ex desultoria quadam levitate per extortas preces, vel media non satis idonea. Nulla etiam prohibemur lege eò sequi, quò nos cœlica fata trahunt: Prævios habemus antesignanos in praxi virorum Sanctorum: Petrum Episcoporum facile Principem de Ecclesia Antiochena translatum esse Romam, perhibent Canones. Transiit Eusebius de parva quadam Civitate Alexandriam. Felix Ephesum: Quod Origenes Adamantinus docuerit apud Alexandrinos, Cæsarienses & Antiochenos, testantur annales. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus Antistes fuit Sasimorum, Episcopum Byzantinum egit annis duodecim: Quid recentiores alii ferme innumeri egerint, plurib. adducere nihil attinet: Pelagii 2. Judicium non absonum audire liceat ex C. Scias Causa. 7. qv. 1. Non mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis aut propriæ voluntatis vel suæ delectationis migrat de civitate ad civitatem sed necessitatis aut utilitatis causâ mutatur. Aliud est enim mutare & aliud mutari: Noluit autem divina providentia mutationem admittere in Theologo nostro Eximio, destinatus erat Hassiæ: Operam debebat orbi Christiano, sed præsentem Eum continere debuit Hassia. Ad messem ejus à DEO extrusus erat Operarius; ibi erat necessarius, quod *Serenissimus noster Princeps* clementissimè expendens rescripsit ad literas vocatorias anno

1648. quæ in locum Dñi. D. Hülsemanni surrogandum expetebant *hoc viro secarere non posse*, donis & officiis ejus ad Academiæ structuram & instaurationem opus fore. *sis voluit, sic disposuit divina clementia.* Publicam verò functionem quàm maximè oxornant virtutis & integritatis encomia. *Literarum, quibus adjuncta non est pietas, nullus est usus.* Sicut facilius in oculos incurrunt maculæ, quibus est decolorata facies, quàm alia pars corporis: Ita vitia eorum, qui sunt in eminentia, tantò sunt semper conspectiora, quantò sunt aliis majores: Nam qui vel vitæ probitate, (verba sunt Gregorii Nazianzeni in laudem Basilii) solum vel doctrina præstant, atque ab altera deseruntur, ii mihi à luscis nihil differre videntur, qui cum in magna calamitate, tum verò in majore deformitate sunt, sive alios inspiciant sive ab aliis inspectentur: At quib. utraque laude clarere ac velut ambidextris esse contigit, hi nimirum omnib. numeris absoluti sunt. Licet in hac vita nemo omni ex parte sit beatus & ad sanctitatis fastigium assurgat nemo, placet tamen DEO vitæ sanctitas ex fide illibata promanans. Permultos quidem reperiri licet, qui sic vitam instituunt, quasi nullus in cœlo rerum humanarum esset arbiter ac moderator, qui, quæ nos gerimus, audit & contemplatur vindex scelerum, munerator rectè factorum: Sed tamen ubi suam excusserint conscientiam, domesticum habebunt tortorem, qui mentes inquietabit & ultricem Nemesin advocabit; Contrà securius nihil est animo sibi rectè conscio, *hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Quàm veræ pietatis studium *venerabilis* noster *Senex* ante omnia coluerit, adjuncto Veritatis amore, quâ ab incunabulis qv. cum lacte materno imbiberat, satis est exploratum: Animum prorsus induxerat integritatem, omnium virtutum basin & fundamentum: Simulationem ac dissimulationem refugiebat ceu malum cane pejus & angve, tanquam hostem ingenuitatis & quæ magnanimum pectus minimè deceret. Quod aliis inculcabat docendo, illud & sibi dictum putabat agendo; Ne in illum competeret exprobratio Apostolica: Alium doces te ipsum non doces: Vita cum doctrina conveniebat: Dictis facta respondebant: Malunt enim homines, juxta verba Lactantii, exempla quàm verba: *Bene loqui & male vivere nihil aliud est, quàm sua se voce damnare.* Et sanè qui FIDEM & VITAM docet inculpatam, nec ipse servat, statuæ Mercuriali similis est, viam commonstranti, nec permeanti: Non

otiosum

otiosum erat Symbolum sed meditatione dignum: *Vnusquisq; de se ipso rationem reddit Deo*; Sæpius expendebat & eò cum Deo laborabat, ut vitæ transactæ exactam reddere posset rationem; Ita vivebat, ne vita improbior incuteret ruborem, sed cum honore canos deduceret ad sepulchrum:

Hæc virtutum ornamenta beatum nostrũ Fewerbornium quàm maximè commendarunt Principi, commendarunt Theologis exteris, famam conciliarunt apud studiosos & bonos quosvis; A Serenissima Ejus Celsitudine comes fuit adscitus in itinere suscepto in Saxoniam, anno supra millesimum sexcentesimo trigesimo secundo, in quo à sacris fuit concionibus, institutis colloquiis salutaribus cum magni nominis Theologis in rebus, Ecclesiæ statum afflictum concernentib. Præstitit officia laudanda tum Principi tum Ecclesiæ, tum Academiæ, quod grata mente agnovit Serenissima Ejus Celsitudo in literis gratiâ plenis, ad decumbentem Beatum Doctorem missis, in quibus merita ejus satis deprædicantur cum omnis benevolentiæ benigna promissione. Prout naturâ non nisi humanitatem referebat, sic & humanitatis officia præstare nunquam piguit, Studiosis Ejus alloquium petentibus, à cujus vultu nemo dimissus fuit vel tristior, vel indoctior; In laudem Athanasii scribit Gregorius Nazianz. Ea comitate erat Athanasius, ut ad ejus congressum facilis omnib. aditus pateret, clemens, ab ira alienus miseratione præditus, sermone jucundus, morib. jucundior; Testes se sistent tum in hac tum in futura vita pauperes fideles, in exilium acti, quos ope & solatio pro virili sublevavit, nunquam à se tristiores dimisit, testimonia produci poterunt tum in hac urbe tum Marpurgi, benignitatem & opera Charitatis affatim experti: Non ignorabat ea quæ pauperib. erogentur, Deum largo cum fœnore refusurum; Quisquis enim pauperi beneficam manum aperit fœnerabitur Dño, nec sine remuneratione dimittetur.

Officia Christianismi nuspiam non exercuit, Christiano indigna, quantum in hoc mortale cadit, serio refugit, quib. opere inservire fuit impeditus, voto & affectu non deseruit; Ignatii dictum, in Scriptis sæpiusculè repetitum observabat ipse: πρεπὸν ἐστι μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς ἀλλὰ καὶ εἶναι, ὡς γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον πρᾶγμα. Et Augustini, Quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur. Preces pro afflictis ad Deum fudit, non ignarus illius Bernhardi; pro

nobis orare necessitatis, pro aliis intercedere charitatis esse debitum; In temporibus exulceratis extiterunt pauci, qui commoti fuerint super contritione Joseph, quibus facies Reipublicæ tristissima cordi fuisset; Is tanquam Moses manus ad Deum extensas habuit, se maceriem interposuit contra malum, preces & suspiria sua opponendo rupturæ periculosæ in Scholis & Ecclesiis, quæ preces cum coetu fideli junctæ impetum quasi in Deum silentem fecerunt & aures ad audiendum faciles excitarunt: Quid requiris in hac beata anima, quod non pro virili præstiterit? anne fidelem *Antistitem*? de eo gratulatæ sunt sibi parochiæ Ejus inspectioni commissæ: Anne fidelem *Præceptorem*? Is sanè in plurimorum mentibus est desideratissimus, vita quidem defunctus, immortalis fama, vivit in perenni memoria: Anne fidelem *Parentem*? Deplorant illum effusis lacrymis Filiæ Nepotes & tota familia Fewrborniana; Nunquid in paternitatis jure quicquam neglexerit ille, qui totus σφγῆ paterna ardebat, qui non nisi paterna viscera induerat; Quid desiderabis deniqúe in pio & honesto *Marito*? *Maritæ Cosiæ* quondam *lectissimæ unicum erat Delicium, thalami Fulcrum, Caput exoptatissimum*, cujus directioni subesse gaudebat, cujus radiis cum laude coruscabat, cujus monita & colloquia exosculabatur; Ut verò ameris, ama, ut reciproca vigeret jucunditas, Maritus maritam animitus amplectebatur, quod vel ex eo nobis innotuit plus satis, dum, fato divino ita jubente, morte proh dolor! adempta fuit *Conjux* lectissima, *Matrona pientissima oculorum desiderium vah*! quot lactymarum fontes misit? quot gemitus profudit? quas querelas cordifragas egit! quoties lachrymabundus ingeminavit illud Poetæ:

Non dolor est major, quàm cum violentia mortis
Enanimi solvit corda ligata fide:

Sedebat vir *viduus* tanquam turtur gemens, compare privatus, inter lachrymas & suspiria. Sedebat tristis ceu lethaliter vulneratus, parte de corpore resecta & gelido sepulchro illata; reliqua subinde sanguinem, lachrymas & aquas protrudente; Hinc ex filiali affectu solitudinis statum tollentes Liberi, domicilium ei pararunt inter proprios Lares, ut curam ejus haberent, tristi subvenirent, solitarium conversatione quotidiana excitarent, nihilque intentatum reliquerunt agnati; quod ad Senectutem pii Senis sublevandam facere visum fuit, &, si ad dies Ejus prorogandos in ipsorum viribus extitisset quicquam, vel de suis diebus illius adjecissent; Voluit

Voluit autem vitæ mortisque nostræ Moderator Optimus ostendere, Senem nostrum μαχαίρην communi mortalium conditioni subesse, siquidem Nascentes morimur finisque ab origine pendet, Illa eadem vitam, quæ inchoat, hora rapit. Hinc præmisit mortis prodromos, senectutem & ægritudinem, quorum prior præsentem, posterior latentem prænunciat mortem; Seni mors parata in januis, Juveni in insidiis, inquit Bernhardus; Aliquot annis virib. fractus pugnare cogitur cum corporis infirmitatibus; Cogitat de mediis divinitus ordinatis, properat ad Acidulas, quæ ultra anos 20. salutare erant à morbis προφυλακτικὸν; Mirandum sanè Dei beneficium, quid & aquis acidis ex arenosa & petrosa terra scaturientib. virtus insit therapeutica pro sanitate corporis. Ut & aliis aquis, in usum hominis, de quib. Conimbricenses, Scaliger, Hagius, Bartholinus & Autores alii. Deo benedicti onem retrahente, omnis inanis est medela; Sic Acidularum virtus in effoeto & debili corpore nostri Μαχαίρης suum non assequebatur finem; Infirmus ad locum delatus, infirmitate constrictus rediit! Sollicitus de alio medicamentorum genere; Non enim ex illorum fuit numero, qui si non statim ad primæ doseως receptionem viribus integri fiant, animum prorsus abjiciunt & de divino juvamine desperant; Prorsus Medicorum sunt contemptores: Quid Manes de Persici Regis Filio ægroto, remotis & spretis Medicis, promiserit, satis constat; Tanquam Filii homicida vivus excoriatus & canib. objectus fuit. Fanatico eatenus esset indulgendum, nisi corripuisset error saniores. Nescio, quæ cogitata animum subierint Bernhardi, aliàs salutaria plurima docentis, dum Fratres suos docet: Species emere, Medicos quærere, potiones accipere, religionis indecens esse, contrarium puritati nec congruere honestati; Hæc autem omnia gentes inquirere: Medicinam & ejus efficaciam Christus nobis suo peperit merito; Illi tanquam causæ primæ vendicare singula, non est Christianum! Nihil enim absque misericordia Dei ars medendi valet, Hieronymus inquit: Ast debito modo adhibita medicamina, DEI sunt media. Modus non contemnendus, quem præscribit Siracides: In infirmitate tua, Fili, ne despicias sed ora Dominum & ipse Te curabit; Averte à delicto & ab omni delicto munda cor tuum, & tum locum da Medico, illum etenim creavit Dominus & non discedat à Te, quia opera ejus sunt necessaria: Subjungit *beatus Fevrborn* Fasc. 5. Disp. 6. *Nisi enim Deus piè invocatus, medicamentis benedixerit, nihil proderunt, ut luculentè probat exemplum Regis Asæ.* Non est in medico semper relevetur ut æger; *Sæpe ultimus Morborum medicus mors est.* Idem etiam contigit *Beato* nostro;

ſtro; Quibus probè perſpectis, medicamenta adhibita ſuum non ſortiri effectum, morbum indies ingraveſcere, cibi, appetitum penitus deficere, nec alia deeſſe Symptomata; Hæc certò ſecututæ mortis exiſtimavit nuncia; Ea propter ſe recepit unicè ad alexipharmaca ſpiritualia, ſe ad mortem venturam paravit, ut dum mortis ingruunt pericula, eò lætior & animoſior ei procederet obviam; Nemo enim mortem lætior excipit, niſi qui jam dudum ad mortem fuit paratus: Johannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus ſemper ſe in menſa de morte ſua admoneri voluit Pia mortis meditatio precioſum eſt aroma, judice Hugone, quod niſi incenſum redolere neſcit; Sic meditatæ mortis aromata ſuccenſa ſæpius redolebunt ſuavius; Suave colloquium erat *Juſto* noſtro *Doctori*, de morte commoneri & de εὐθανασίᾳ conferre ſermones, ex Scripturæ S. dictis, nihil ipſi gratius, nihil acceptius erat: His etenim animum ad Simeonis ἀπόλυσιν magis magisque præparari geſtiebat; Mediis humanis deſtitutus omnibus, ad unicum Dei auxilium, tanquam ad ſacram anchoram confugit, in Dei verbo & Sacramentis ultima animæ præſidia quæſivit: Imitatus Exemplum Chriſti Salvatoris noſtri; Prout ipſius vita noſtræ vitæ eſt exemplar; Sic mors Chriſti mortis noſtræ exemplar eſſe debet & εὐθανασίας Schola: Chriſtus morti vicinus Sacram inſtituit Evchariſtiam; Juſtus Chriſti ſervus viatico illo ſæpius ante mortem fuit uſus, contra mortem & ejus horrores ſe communiens. Chriſtus in cruce cum lachrymis preces Patri cœleſti obtulit: fidus ejus Servus precatus à Deo remiſſionem peccatorum, fidei conſtantiam, patientiam & Sp. S. ſolatium. Chriſtus teſtamentum qv. condidit veſtimenta crucifixoribus, matrem diſcipulo dedit: Sic Ejus imitator diſpoſitionem fecit de rebus poſt mortem agendis, liberos & nepotes divinæ protectioni commiſit & benedictionem Jacobæam ipſis impertiit, animâ in manus Domini commendatâ, vita cum morte voluntati Ejus beneficæ ſubmiſsâ. Intereà vicem ſuam dolebat ſæpius, quod ob virium imbecillitatem vitæ muneribus incumbere ultra non liceret: Nempe priſtini fervoris in ſolennibus ſtudiis & divinæ memor originis cogitabat, Imperatorẽ ſtantem mori oportere; Aſt in hac re limites directioni divinæ præſcripſit nullas, Sæpius ingeminans: *Domine, ſi utilis ſum Eccleſiæ tuæ, non refragabor, Sin minus fiat voluntas Domini*: quin potius votis ardentib. exoptavit cum Apoſtolo, maturè eripi corporis ergaſtulo & eſſe cum Chriſto: Si nunquam, bene, ſi aliquando, cur non hodie? Nihil aliud preces ejus ſpirabant præter faſtidium hujus infelicis vitæ & certam fiduciam æternæ beatitudinis; Preces

intenſas

intensas cum Dño Genero sæpius iteravit pro assequenda beata mortis hor placida ex hac vita emigratione & æternæ vitæ consecutione:

Tandem & preces & suspiria divina suscepit clementia, accedente ultima vitæ clausula, in Dei decreto determinata: *Lux Sexta* Februarii affulserat, quæ Beato nostro Fewrbornio, *dies erat transitus ad vitam æternam*, juxta August. Janua ad cœlum cum Bernhardo: Vitæ reparatio, cum Prudentio. Migratio, & à vitæ curis absolutio, cum Chrysostomo, Non inconcinnè à Seneca dicitur æterni diei natalis; Quamvis enim vita naturæ destruatur, parit illa vitam nunquam cessaturam; Mutationem hanc oculus naturalis intuetur transversè multum: Dolet vitam extingvi Parentis optimi, dolet præsentiam adimi Antistitis optimi, cum infinitè melior sit conditio, quàm inter mortales extitit; Dñm Fewrbornium agonisantem circumstabant amicissima pectora lugebant adimendum; Condolentes astabant amici videntes cum morte conflictantem; Sacri Præconis vox insonabat auribus certantis, ut Dei virtute constans obtineret victoriam & de hostib. exuperatis in cœlo triumpharet; Eheu! caro reluctatur morti, membra te opponunt, ast contra vim mortis nulla reluctantia, vires succumbunt, spiritus deficit, corpus exossatum animam placidè exhalavit, ut mors somno similima videretur & ad cœlestem patriam commigravit, unde Dei beneficio tam ingens pignus ac depositum in terras erat transmissum.

Vale ergò multumque *salve Anima mori nescia*, Tu potior Ejus pars cœlo recepta sempiterno ævo frueris & eam vitam agis, quæ nec temporum metis, nec felicitatis modis circumscribitur. Punctum hîc est quod vivimus, imò puncto minus: Vita caduca, fallax & lubrica est; Quid diu est vivere, quàm ad finem decurrere? Tu nunc vita vivis cœlesti Angelica, quam non oculus vidit, non auris audiit, non vox eloqui, nec humana mens capere potest.

Vale Anima laude dignissima. Tui desiderium habes in cœlis, desiderium reliquisti in terris: Quamvis hæc Academia & universa respublica literaria gravi damno & vulnere afficiatur hujus viri amissione, cujus vices subjectum Ecclesiæ huicque Academiæ proficuum suppleat Divina Clementia, ejus tamen laus & fama non simul est emortua; Sed Tu, ô Fewrborni, in fama beneficiorum memori extructum habes *cippum immortalis laudis*; Et quod Scaliger olim ad illud Ennii Epitaphium apud Ciceronem scripserat: *Nemo me lacrymis decoret, neq; Funera fletum tingat*: *Cur? Volito docta per ora virûm.* Illud in Te competit, Anima celebrata. *Salve* igitur ô *Anima Beatissima*; Ante obitū supremaque fata dicendus nemo beatus, quod rex Ethnicus Lydorum Croesus

Croesus suo comprobavit exemplo: Inter Christianos invenias nonnullos qui si ad aliquod vel honoris vel opum surrexerunt eminentiam, beatitudinis ἀκμὴν attigisse putent: Nescientes sæpe in infimo infelicitatis gradu consistere: Ast teráque quateráque beati, imò perpetuò, quos placida mors duxit ad æternam beatitatem: De qua Tibi, ô Fewrborni beate, gratulari potius convenit, quam Te nobis ademptum infirmo desiderio & muliebribus lamentis lugere, ne magis ob jacturam nostram dolere, quàm ob beatitudinis Tuæ donum lætari videamur: Scientes *congregationem nostram apud Te futuram in cœlis, non Tuam apud nos in terris*: Beati igitur, qui in Domino moriuntur, quia Spiritus Dei inquit, quod requiescant ob omni labore.

Salve Ergò, ô *Anima quietissima*: Vita hæc misera est & inquieta variis calamitatum fluctibus circumvallata, ita ut neç quies sit in domo, quies nulla in agro, quies nulla in officio, nulla in omni terrarum angulo: At Tu divinum & Sacrosanctum Caput, Verba sunt Gregorii Nazianzeni, cœlos penetres atque in Abrahæ sinu, quicunque tandem ille est, conquiescas & Angelorum choream inspectes & beatorum virorum gloriam atque splendorem, vel potius unà tripudies & exultes, omnia, quæ hæc vita habet, ex alto derideas, nimirum divitias, abjectas dignitates & honores fictos, hactenus ille: Utique ô quieta anima omnes mundi honores ex alto despicis, qui nonnisi immensos labores pariunt, præ quiete, quam tu nacta es in Salvatore Tuo, in aspectu Sacrosanctæ Triados: *Vale* denique, ô *Anima lætissima*, lætaris ob Angelicum glorificanté chorum: lætaris ob lætificam Electorum societaté: Tu ipsa lætaris & triumphas ob coronam & gloriam acceptam: Faveamus, inquit Hieronymus in Epist. Blesillæ nostræ, quæ de tenebris migravit ad lucem & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Faveamus beatissimo nostro Fewrbornio, viro desideratissimo, gratulemur Ei de æterna felicitate,

Salve, Vale, Vive Anima mori nescia, laude dignissima, beatissima, quietissima, in immortalitate, decore, beatitate & quiete per omnia seculorum secula, AMEN.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767132041/phys_0248
DFG

are debemus. Quia nec Enjedinus, nec Pi-
bis vel unûS. Scripturæ effatum proferre po-
ticulæ *junctim uni tantùm* Personæ divinæ ad-
. T. 1. part. 2. de 3. Elohim c. 3. p. 525. ubi
Patrem his tribus describi particulis, à quo, per
et Sed hæc interpretatio nullo nititur fundamento
o probari potest. Nunquam enim solita est scri-
particulam, à quo & per quem. Sapissimè autem
ribuit Patri particulam à quo; dat filio particulam

rotema XVII.

æfatione Epistolæ ad Romanos, cum Calvinianâ
ne & reprobatione hominum æternâ, sentiat?
i In suis Germanicis Ἀμοιβαίοις, p. 12. 312.
Ast perperam. Quia D. Lutherus agnoscit
inæ salutiferæ, nec non meriti Christi, &
ocandi, in glossâ marginali Gen. 18. v. 14.
. T. & passim in aliis testimoniis, quæ co-
Selleni in suis Ἀμοιβαίοις pag. 91. &c, typis
bstant quicquam D. Lutheri verba in præ-
Quia ibi non loquitur de decreto electionis
od Cassellani in suis Ἀμοιβαίοις iterum fa-
gitur D. Lutheri hic est: Non ex nostris
cooperationibus, quas Pelagianizantes Scho-
ant, sed ex Electionis divinæ *decreto*, ex
divinum propositum mediaque per quæ
it *fides*. Et tamen electio, ὁλικῶς spectata,
ævisâ, Rom. 8. v. 29. & 2. Thess. 2. v. 13.
ssenss. Disp. 12. q. 1. Disp. 41th. 171. &c, & spe-
κίων Cassell. part. 1. cap. 18. p. 401. &c, &
Si dicas, *D. Lutherum dicere* auß der ewigen
rünglich her/wer gläuben oder nicht gläu-
/oder nicht loß werden könne. *Proinde eum*
sed & de ἐπιστίᾳ, nec tantùm de peccatorum re-
missione,